
P
H36


HARVARD
UNIVERSITY
ARNOLD
ARBORETUM
PRESENTED BY CHARLES SPRAGUE SARGENT
1892

INAVGVRALIS

...NICA

DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICO-BOTANICA
DE

NOMINVM PLANTARVM MVTATIONE VTILI AC NOXIA

QVAM

PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. AC LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS
ET ARCHIATRO, MEDICINAE CHIRVRGIAE AC BOTANICES
PROFESSORE PVBLICO ET PRIMARIO, ACAD. SCIENT.
CAES. NEC NON REG. LOND. AC BEROL. COLLEGA
LONGE GRAVISSIMO, H. T. DECANO ET
SENIORE SPECTABILI

DN. PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE
OMNI OBSERVANTIA AETERNVM COLENDO

PRO GRADV DOCTORATVS
RITE OBTINENDO

HORIS LOCOQVE CONSVETIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

IODOCVS EDMVNDVS SANDHAGEN,
LIEBENBVRGO-HILDESIENSIS.

D. XVII. OCTOBR. MDCCXLI.

HELMAESTADII, LITTERIS SCHNORRIANIS.

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO
LAVRENTIO
HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. ET. LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS ET ARCHIATRO, MEDICINAE PROFESSORI PRIMARIO, ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. NEC NON REGIAE LONDIN. ET BEROLIN. COLLEGAE GRAVISSIMO

PATRONO AC PRAECEPTORI SVO
AD CINERES VSQVE PIE DEVENERANDO
HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
IN
OBSERVANTIAE ET OBSEQVII
MONVMENTVM
SACRAM ESSE CVPIT
IODOCVS EDMVNDVS SANDHAGEN.

VIR
ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIME
ATQVE EXPERIENTISSIME
PATRONE AETERNVM VENERANDE!

En! *offero* TIBI *diſſertationem meam inauguralem, quam his in diebus ſub graviſſimo praeſidio* TVO *publicae eruditorum diſquiſitioni ſubmiſi. Cur ſub* TVI *celeberrimi Nominis auſpicio promulgare audeam ſcriptum, quod ſub* TVO *moderamine publice defendi, non una vel altera, ſed plures me inducunt rationes. Quibus exponendis nunc proli-*

xus

xus forem, ſi ſcirem, me TIBI *rem facturum eſſe gratam, & modeſtiae* TVAE *convenientem: Sed cum metuam, ne* TVORVM *erga me meritorum prolixa commemoratione* TIBI *moleſtus ſim, liceat mihi ſaltem praecipuum, quo ad hoc erga* TE *pietatis officium compulſus ſum, incitamentum indicare. Inter illos celeberrimos viros, ex quorum doctiſſimo ore praecepta artis ſalutaris hauſi,* TV, VIR EXCELLENTISSIME, *primas tenes, cuius fideli inſtitutione frui mihi licuit. Neque ſolum ſolida doctrina animum meum imbuiſti, ſed etiam, quomodo ea in praxin deducenda, quae cautelae in curandis morbis obſervandae, tam candide aperuiſti, ut nihil plane coram reticueris, quae futuro medico ad medicinam aliquando feliciter faciendam ſcitu neceſſaria ſunt. Quod* TVVM *in me beneficium cum certe tantum ſit, ut quo pacto pro eo* TIBI *gratias referam, plane ignorem; iam dudum occaſionem cupide circumſpexi, qua publicum grati animi documentum* TIBI *exhiberem, meamque in* TE *obſervantiam mente devinctiſſima declararem. Quando ergo ſpecimen ſtudiorum, in hac Academia nunc ad finem feliciter perductorum, publice extare volui, non diu quaerendus mihi fuit, cuius Nomini hanc operam inſcriberem, quum* TVA *praeclara in me merita menti meae obverſentur. Ac-*

cipe ergo ſerena fronte hoc, quod TIBI *offero, devinctiſſimi animi mei teſtimonium, & concede benigne, ut illud tanquam ſummi, quo in* TE *feror, obſequii documentum publice extet. Quod ſupereſt, Deum ſupplex veneror, ut ſuis maximis, quae in* TE *contulit, bonis hoc quoque adiiciat, ut* TE *Academiae Iuliae & univerſo orbi litterato quam diutiſſime ſalvum incolumemque, & omni felicitatis genere abundantem conſervet. Vale,* PATRONE MAXIME, *&, quod facis,* TVO *me porro favore proſequere, qui ſum ad urnam usque*

ILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TVI

Dabam Helmſtadii
D. XXI. Octobr.
M D CC XLI.

Cultor obſervantiſſimus
IODOCVS EDMVNDVS SANDHAGEN.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-BOTANICA

DE

NOMINVM PLANTARVM MVTATIONE VTILI ET NOXIA.

PRAEFATIO.

Studium rei herbariae in hoc ſeculo maximos feciſſe progreſſus, tam ſi numerum plantarum antea incognitarum ſive recens detectarum, atque in Europam illatarum, quam ſi aptiora Syſtemata ſive Methodos earum, quas anteceſſores noſtri habuerunt, reſpicias, quibus in aptum ordinem, aptas nimirum claſſes ſive familias, aptaque genera, pro facilitanda earum cognitione, a RAIO, HERMANNO, RIVINO, TOVRNEFORTIO, BOERHAVIO, HEVCHERO, PONTEDERA, MICHELIO, HEBENSTREITIO, BVXBAVMIO, LVDWIGIO, LINNAEO, ROYENO, GRONOVIO, aliisque magnis Botanicis redactae ſunt, nemo facile, qui vel primis, ut aiunt labris, rem herbariam deguſtavit, ignorabit.

Quoniam vero Botanophilis & praeſertim Medicis, multum intereſt, ut praeter aptam Methodum, *plantae convenientes eodem nomine, verum diverſae diverſis, ſed aptis inſigniantur*

nominibus, ne facile inter ſe confundantur, varii multum operis impenderunt, ut primo iis, quae a longo iam tempore notae, atque in ſcriptis Medicorum celebrantur, *antiqua ſeu conſueta ſervent nomina*, ut ſic Lectores & cumprimis diſcentes, quam plantam ſcriptores, quae ad hunc vel illum uſum commendata eſt, hoc vel illo nomine intelligant, in lectione eorum ſcirent, & ſimul etiam, ut, quid Medicus, qui eiusmodi vegetabilibus uti & pro aegris e pharmacopolio praeſcribere velit, Pharmacopoeus noſcat, ne aliud ineptum aut forte noxium, vel ſaltem huic morbo, quo aeger laborat, non adverſum, mittat, atque ſic damna aegris, Medico vero contumelia & contemtus inferantur: ut taceam, ne conſcientia hoc ipſo laedatur aut aeger prorſus interficiatur.

Deinde vero & caeterae plantae, *quae vel in victu, aut re oeconomica uſum habent*, vel quarum etiam uſus adhuc incognitus eſt, & vel *ob elegantiam florum*, *aut hortorum ornamentum*, vel etiam *in uſum Philoſophicum aut Theologicum a* ſummo Conditore creatae ſunt, a) ſtudii botanici cauſſa idonea requirunt nomina, ut eas cum ab aliis, tum a ſe invicem, certe & quantum fieri poteſt, facile cognoſci ac diſcerni queant, ſi quando forte uſus aliquis ſucceſſu temporis detegatur, (dum ut veriſimile eſt, nulla forte ſine utilitate herba a ſummo rerum Effectore creata eſt) rei herbariae ſtudioſus ſciat, qualis aut quae illa ſit planta, aut herba, de qua haec vel illa utilitas aut etiam noxa praedicatur.

Iam dudum Ill. DN. PRAESES in ea fuit ſententia, *plantas multas adhuc ineptis, aut ſaltem minus aptis* atque inconditis, *imo & quamplurimis ſupervacaneis gaudere nominibus*, ſicut in programmate, quod A. 1730, *de Studio rei herbariae emendando*, hic Helmſtadii edidit, iam indicavit, atque ſic mutationem ali-

a) Conferri hic poſſunt varia ſcripta recentiorum ſcriptorum, qui Dei exiſtentiam ex floribus oſtendere allaborarunt.

aliquam requirere, hocque non ſolum *in integris plantarum generibus*, verum etiam *in nominibus ſpecialibus* multarum ſpecierum opus eſſe, illudque ſe aliquando praeſtiturum in eodem programmate pag. 10. & ſeq. non modo promiſit, ſed & in Catalogis ſuis quatuor plantarum, quos de Horto Academiae Helmſtadienſis diverſis poſtea annis edidit, variis ſpeciminibus exemplorum loco praeſtitit, eo animo, ut in poſterum peculiaribus ſcriptis illud utiliſſimum & in re herbaria valde neceſſarium argumentum adhuc uberius exponeret; atque ſimul ſuam ſententiam *de Nominibus aptis vel ineptis, utilibus atque inutilibus, retinendis vel mutandis*, itemque *de neceſſaria aut minus neceſſaria, utili vel inutili nominum plantarum mutatione*, proponeret atque cum eruditis communicaret.

Cum vero aliquot annis poſt, LINNAEVS, Suecus, Botanicus recens & diligentiſſimus & praeſtantiſſimus, ſuum *Syſtema ſexui plantarum ſuperſtructum*, aliaque ſcripta botanica edidit, in quibus quamplurimas nominum hactenus uſitatorum mutationes, easdemque ex ſententia Exc. DN. PRAESIDIS, *ſaepe bonas*, *ſaepius tamen etiam malas*, *fecit*, atque ego EVM de hiſce in lectionibus & demonſtrationibus ſuis botanicis per triennium, quo hic ſtudiis incubui, ſaepe diſſerentem audivi, & quae ex ipſius ſententia *bene vel male mutata ſint nomina*, mente perceperim, haec res vero & utilitates & noxas ſuas in arte medica quam maximas habere poſſit, haud alienum a me eſſe iudicavi, ſi hoc argumentum, *de Nominum Plantarum utili & inutili*, *ſive neceſſaria ac noxia mutatione* ad EIVS ductum uberius excuterem, & quasnam bonas aut malas, aptas vel ineptas, neceſſarias & minus neceſſarias exiſtimet mutationes, Ill. DN. PRAESIDIS ſententiam loco Diſſertationis inauguralis exponerem; quod ut feliciter & in rei herbariae ac medicae utilitatem fiat, ardentibus a Deo T. O. M. exopto precibus.

§. I.

PLantas propter inſignes, quas generi humano praeſtant utilitates, *nominibus eſſe inſigniendas*, iam antiquiſſimi mortalium agnoverunt; quia *ſine nomine neque dici neque ſcribi de earum uſu*, aut etiam ſi venenatae aut noxiae, de earum noxa aut damno diſſeri recte & cum fructu poſſet. Itaque ex antiquiſſimis ſcriptoribus, tam ſacris quam profanis, plantas, ſive herbas & arbores, iam ſua accepiſſe nomina, intelligimus, ſicuti animalia: dum SALOMON etiam iam ab hyſſopo, ad cedrum usque diſſerere poterat: ut ſic de iis rite ratiocinari & quid vel boni vel mali inde obſervaverint, cum aliis communicare potuerint. *Maxime vero Graecos* ſicut de caeteris ſapientiae partibus, quoque ſollicitos fuiſſe circa nomina plantis imponenda, conſtat ex eorum ſcriptis & ſpeciatim ex HOMERI, HIPPOCRATIS, THEOPHRASTI ERESII, DIOSCORIDIS ET GALENI, quos poſtea Romani ſive Latini, inter quos CELSVS atque PLINIVS eminent, ſecuti ſunt.

§. II.

Veteres & ſpeciatim Graeci, qui ſcientias artesque liberales prae aliis excoluerunt, *ex neceſſitate coacti fuerunt nomina herbis atque arboribus imponere*, quia ſine nominibus de earum natura & uſu dicere aut ſcribere recte non potuisſent. *Illis igitur, qui primum de iis ſcripſerunt, poteſtas erat rebus & ſpeciatim herbis quoque, licet Syſtematici non fuerint, nomina iis imponere*, a) quae ſubſequentes homines prudentiores, *ne confuſiones concitarent*, retinere ut plurimum ſtuduerunt, & praeſertim earum, quas vel vitae conſervandae aptas, dum

a) LINNAEVS exiſtimat, non niſi Syſtematicis licere rebus nomina imponere; ſed hanc opinionem vanam eſſe ex infra dicendis patebit.

dum pro cibo ſive alimento ſerviebant, vel quas ad morbos pellendos idoneas deprehenderunt, vel etiam illas, quas venenatas ac noxias hominibus vel animalibus obſervarunt, ut ab iis ſibi cavere poſſint: atque has plantas omnes non quidem ex ſola fructificatione, ut multi recentiores eas ſolum cognoſcendas eſſe volunt, ſed ex aliis etiam ſuis notis agnoverunt & ab aliis diſtinxerunt.

§. III.

Optandum quidem eſſet, ut perſpicua deſcripſerint ſigna ſive notas characteriſticas, quibus eas agnoverunt, ut & nos hodie certi eſſemus, quas plantas ſub hoc vel illo nomine intellexiſſent; verum quod dolendum hoc vix in nonnullis fecerunt: hinc *de paucis ſatis certi ſumus, quas hoc vel illo nomine intellexerint.* Interea tamen Medici recentiores, tempore, cum bonae litterae renaſcerentur, atque ſimul tunc etiam res Medica atque Botanica diligentius rurſus coli ceperit, *certas plantas ſub certis nominibus, maximam partem antiquis*, (quibusdam tamen etiam novis) *quas vel veterum plantas medicas* revera, eſſe, vel ſaltem quam maxime cum illis convenire crediderunt, *in uſum Medicum per totam Europam ſuſceperunt*, quemadmodum haec nomina in ſcriptoribus Botanicis ſeculi decimi ſexti, decimi ſeptimi atque huius in quo nunc vivimus, decimi octavi, videri poſſunt, hisque nominibus plerumque etiam in ſcriptis ſuis medicis & pharmaceuticis uſi ſunt, *ſic, ut ius quaſi civitatis, tam longo temporis uſu in Republica Medica atque Botanica adepta ſint*, & ſine notitia horum nominum nullus profecto ſcripta Medica vel Pharmaceutica recentiorum horum ſeculorum intelligere valet, neque formulas medicas praeſcribere poteſt, quas vel alii Medici vel Pharmacopoei intelligerent, niſi receptis illis nominibus utatur. In his vero LINNAEVS ex aſſumtis hypotheſibus *tot tantasque nominum fecit mutationes*, ut totam fere rem medicam & herbariam quaſi evertere videatur.

§. IV.

Ne quis vero ignoret, quaenam ſint *illa nomina plantarum in Medicina & Pharmacopoliis* hactenus uſitatarum, quae LINNAEVS mutavit, potiora illorum in exemplum alphabeti ordine hic ſubiiciam. Nimirum Abrotanum & Abſinthium mutavit in *Artemiſiam*, extincto abrotani & abſinthii nomine; Acetoſam, in *Rumicem;* Acetoſellam, in *Oxalin;* Alkekengi, in *Phyſalim;* Alliariam, in *Eryſimum;* Ananaſam, in *Bromeliam;* Anchuſam, in *Bugloſſum;* Arnicam, in *Doronicum;* Aurantium, in *Citrum;* Bardanam, in *Arctium;* Belladonnam, in *Atropam;* Benzoen, in *Laurum;* Bugulam, in *Teucrium;* Burſam Paſtoris, in *Thlaſpi;* Calaminthan, in *Meliſſam;* Camphoram, in *Laurum;* Cardiacam, in *Leonurum;* Caryophyllum, in *Dianthum;* Caryophyllatam, in *Geum;* Centaurium minus, in *Gentianam;* Chaerophyllum ſiue Chaerefolium, in *Scandicem;* Chamaedryn, in *Teucrium;* Chamaemelum ſiue Chamomillam, in *Matricariam;* Chamaepytin, in *Teucrium;* Cheiri, in *Cheiranthum;* Cicutam, in *Conium;* Citrullum, in *Cucurbitam;* Colocynthidem, in *Cucumerem;* Corallinam, in *Sertulariam.* Corallum, in *Iſidem.* Cyanum, in *Centauream;* Cydoniam, in *Pyrum;* Dictamnum, in *Origanum;* Elaterium, in *Momordicam;* Eſulam, in *Euphorbiam;* Fabam, in *Viciam;* Filicem, in *Pteridem;* Filipendulam, in *Ulmariam;* Foeniculum, in *Anethum;* Foenum Graecum, in *Medicaginem;* Fraxinellam, in *Dictamnum;* Geniſtam, in *Spartium;* Haederam terreſtrem, in *Glechoma;* Helenium, in *Aſterem* & contra *Helenii* nomen alii imponit plantae, quae antea ſolis ſiue coronae ſolis ſpecies fuit, ſalicis foliis, caule alato, quae cum Helenii officinalis natura & viribus prorſus haud reſpondet. Praeterea Linnaeo Horminum *ſalvia* dicitur; Hippocaſtanum, *Eſculus;* (quod tamen pro eſca minime aptum eſt) Ialappa, *Mirabilis;* Iuiuba ſiue Ziziphus, *Rhamnus;* Kali, *Salſola;* Lapathum, *Rumex;* Lappa, *Arctium;*

La-

Larix, *Abies;* Lilium convallium, *Convallaria;* Linaria, *Antirrhinum;* Lingua Cervina, *Aſplenium*; Lupulus, *Humulus;* Maiorana, *Origanum;* Malus, *Pyrus;* Malvaroſea, *Alcea;* Marum, *Teucrium;* Melilotus, *Trifolium;* Melo, *Cucumis;* Meum, *Athamanta;* Millefolium, *Achillea;* Naſturtium, *Lepidium;* Pentaphyllum, *Potentilla;* Perfoliata, *Bupleurum;* Perſica, *Amygdalus;* Petaſites, *Tuſſilago;* Piloſella, *Hieracium*; Polium, *Teucrium;* Polygonatum, *Convallaria;* Pſyllium, *Plantago;* Pulegium, *Mentha;* Pyrethrum, *Buphthalmum;* Rapa, *Braſſica*; Rorella, *Droſera;* Sclarea, *Salvia;* Scordium, *Teucrium;* Senna, *Caſſia;* Serpillum, *Thymus*; Solidago, *Senecio*; Stoechas, *Lavendula*; Succiſa, *Scabioſa;* Taraxacum, *Leontodon;* Tithymalus, *Euphorbia;* Tunica. *Dianthus;* Virga aurea, *Solidago*; Ulmaria, *Filipendula;* Zedoaria, *Coſtus;* Zingiber, *Amomum;* Ziziphus, *Rhamnus*; & ſic plura.

§. V.

Quae cum ita ſint, *male profecto recentiores illos Botanicos egiſſe atque adhuc agere exiſtimo*, qui vel ob recens quasdam factas hypotheſes, ab uſu medico ſaepe quam alieniſſimas, vel ob innovandi forte quendam pruritum, maximam partem harum plantarum medicatarum *nominum per viginti fere ſecula uſitata, nunc invertere atque vel e re botanica & medica eiicere contendunt*, vel aliis aut prorſus non uſitatis antiquis, aut ſaltem pro hac planta haud uſitatis, transmutare volunt: quia ſummam hac re in Medicinam confuſionem & errores pernicioſiſſimos inducunt, quibus multorum ſane hominum vita in mortis periculum inducitur; ſicut hoc Cl. Dn. D. GOECKELIVS, Amicus coniunctiſſimus, haud pridem ſub praeſidio Ill. DN. PRAESIDIS in Diſſ. *de Methodo Botanica Linnaei* §. 72. & ſeqq. evincere ſtuduit.

§. VI.

Omnes, qui vel magnum BOERHAVIVM audiverunt, vel doctiſſima eius ſcripta cum attentione perlegerunt, fere

re ſtupent ingenium atque iudicium, quod in quacunque, de qua agebat, re oſtendit, ideoque & profecto audiendus erit, *ubi de eis, qui tantopere nomina plantarum idonea mutarunt*, aut in nominibus plantarum aptis *temere mutandis delectati ſunt*, diſſerit, in Praefat. Indic. alt. Horti Lugd. Batav. p. 15. ubi ait: *nihil fere peius arti (Medicae) accidere, quam id, quod quotidie evenit, puto ut quilibet Autor plantae diu deſcriptae atque bene denominatae, novum iterum absque fructu, absque ulla neceſſitate, nomen imponat. Cur Iohannes* BAVHINVS *cuique fere plantae, quam recenſet, nomen dat diverſum ab eo, quod* COLVMNA, CLVSIVS, & *Caſpar* BAVHINVS *dederat? Quare* MORISONVS *millena nova finxit nomina, ubi nihil omnino id exigebat? Quam ob rem centies poſt hos innovavit rurſus nomina* TOVRNEFORTIVS? *Omnes ſane hi curam artis gravem, cura nova aggravant. Atque ita efficitur difficilibus nugis, ut ſtulta appareat difficilisque Botanice*, quae revera pulcherrima eſt. Quid faceret aut iudicaret doctiſſimus hic Botanicus, ſi de LINNAEI innumerabilibus fere mutationibus nominum plantarum ac praeſertim medicatarum ſive in Officinis pharmaceuticis uſitatarum, quas hinc *officinales* vulgo vocant, ob aetatem tunc, cum LINNAEI ſcripta prodirent, ingraveſcentem, iudicare potuiſſet aut voluiſſet, ubi ſaepiſſime nulla, ut ego ſaltem exiſtimo, mutatione opus fuit. Adducit quidem LINNAEVS verba doctiſſimi RAII, quae axiomatis inſtar obſervanda eſſe vult, in Critica ſua Botanica p. 100. *de evitanda nominum plantarum nimis facili mutatione*, ubi ait: *Quam minimum fieri poteſt innovandum, neque mutanda nomina communi uſu recepta, & in Medicorum ſcriptis frequentata, eorumque ſignificationes, ad confuſiones & errores vitandos; norunt in hiſtoria plantarum vel mediocriter verſati, quantas in eadem tenebras, quantam incertitudinem nominum multiplicatio introduxerit.* Attamen, licet ſe quam maxime facere haec RAII verba primo intuitu videatur, tamen nihil minus ipſum ſervare, patebit mox unicuique propter nimis

mis multas, quas per totum librum ab hac RAII regula praeſtantiſſima facit, exceptiones, ita ut regula haec fruſtra prorſus ab ipſo propoſita videatur.

§. VII.

Largior quidem, imo neceſſarium eſſe agnoſco, *plantas quam plurimas haud pridem novis indiguiſſe nominibus*, atque hoc ipſum non ſolum plerique Botanici Methodici ſive Syſtematici, ac nominatim TOVRNEFORTIVS, RIVINVS aliique, ſed cumprimis etiam BOERHAVIVS iudicarunt, novaque etiam varia & non ſine gravi ratione introduxerunt; *quae vero* LINNAEVS *fere omnia rurſus reiecit* & praeter neceſſitatem aut utilitatem mutavit. *Nova quidem nomina* ſcio abominari a variis: attamen ea neceſſario requiri exiſtimo, partim in generibus, partim in ſpeciebus, & quidem *nova nomina generatim requiri* facile omnes concedent in plantis novis, ſive potius *recens detectis*, & cumprimis, *quando novae plantae ab exteris regionibus* afferuntur, quae antea notae non fuerunt. Sique tunc rite examinatae notas obtinent generis iam deſcripti & conſtituti, *nomine huius generis inſigniuntur*, addita differentia ſpecifica, qua foliis, caule, radice, calyce, flore, aut fructu differunt.

§. VIII.

Cum vero hic prius *de generibus novis eorumque novis nominibus* recte vel male inſtitutis vel adhuc inſtituendis nunc dicturi ſimus, (dum de ſpecialibus forte inpoſterum) *nova nomina generica* varias ab cauſſas *ſaepe requiri exiſtimo* & quidem 1) quando *plantae antea nondum deſcriptae deteguntur*, vel ab exteris regionibus afferuntur, quales quamplurimae ab aliquo tempore ex Aſia, Africa & America in Europam illatae ſunt, quarum flos & fructus ſive ſemen cum genere aliquo iam deſcripto, atque in forum botanicum introducto, haud convenit, ideo etiam ad eiusmodi genus

 iam

iam notum, recte referri nequit, *novo itaque nomine generico* a perito Botanico erit mactandum, a) eoque poſtea a ceteris hactenus notis diſtingendum; alias vel ſine nomine eſſet, ut olim multae relictae erant, titulo v. gr. *Alno affinis*, *Anetho*, *Dracocephalo*, *Euonymo affinis*, vel inepto alio aut ſaltem haud conveniente oneraretur, quemadmodum olim ſaepe factum fuit, atque ex antiquioribus paullo Botanicis abunde videre licet.

§. IX.

2) *Nova genera adeoque & nova nomina plantarum* requiri exiſtimo, *quando in ſpeciebus*, diu quidem ſaepe notis, & ad certum quoddam genus, ex oſcitantia vel negligentia hactenus vulgo relatis, curatiori examine deprehenditur, *eas has notas non habere*, *quae generi a Botanicis praeſtantioribus hactenus adſcriptae ſunt*. RAIVS in *formandis novis nominibus*, licet eorum neceſſitatem ſatis agnoſſet, *nimis timidus fuit*, & plerumque nomen antiquum, licet haud idoneum, retinuit, atque vix aliud protulit, quam *Anemonoides*, illudque adhuc ex conſilio HOTTONI, Botanices Profeſſoris Leidenſis tunc celeberrimi, ſicut ex illius Method. Plant. emend. p. 190. videre licet. RIVINVS quoque, quamvis ſaepius agnoverit plantam quandam ad genus receptum, cuius nomen gerebat, non pertinere, ut ex. gr. in Monop. irregular. *Origanum fiſtuloſum*, tamen novum genus ex ipſo conſtituere & novum no-

a) Ipſe *Linnaeus* ſuadet, ut nomina nova non a iunioribus conficiantur: quippe qui nondum ſatis hac in re eſſent periti, ſed tantum a veteranis, ac ſatis expertis; interea tamen ipſe ſibi, ut novus & iunior tunc Botanicus, libertatem ſumſit, non unum aut alterum, decem aut viginti, ſed centum aut plura, partim nova, partim hiſce temporibus inuſitata nomina in rem herbariam introducere: cur igitur & quo fundamento id aliis iunioribus, nedum ſenioribus interdicet Botanicis, qui per longe amplius ſpatium rem herbariam excoluerunt.

nomen ipſi imponere auſus non eſt, ſed vetus ac malum retinuit; TOVRNEFORTIVS vero poſtea audacior factus eſt, atque *ex multis eiusmodi ſpeciebus, antea iam notis*, quas apto nomine haud inſtructas eſſe iudicavit, *nova genera*, novis nominibus inſignita fecit, quem poſtea PLVMIERIVS, BOERHAVIVS, VALLANTIVS, PONTEDERA, DILLENIVS aliique multi ſecuti ſunt; & ſic BOERHAVIVS ex *Chamaepyti* ita dicta *auſtriaca*, quae multum a Chamaepyti differebat, & hinc a RIVINO *Pſeudochamaepytis* dicta eſt, *Ruyſchiam;* ex viola aquatica, quae a viola quam maxime diſcrepat, *Hottoniam*, ex aliis, alia genera, & quidem ex mea ſententia, rectiſſime conſtituit.

§. X.

Ad horum exemplum, cum *Coffeae* plantam multis in rebus a *Iasmino* differre perſpiceret Illuſtr. DN. PRAESES, ad cuius genus antea a variis relatum erat Botanicis, eam inde ſeparavit & peculiare genus inde iam A. 1730. in Catal. Plant. Horti Acad. Iuliae p. 33. conſtituit, id quod recte factum ipſe LINNAEVS, acerrimus alias cenſor, agnovit, & in generibus ſuis tanquam peculiare atque a Iasmino diverſum genus retinuit ac deſcripſit. Ita & ex certis plantis, quae paullo antiquiores Botanici ad Fritillariae genus, nomine *Fritillariae Craſſae*, recentiores autem & cumprimis TOVRNEFORTIVS, BOERHAVIVS, MILLERVS, ad Aſclepiadis genus retulerunt, Ill. DN. PRAESES ob quam plurima diverſa ab utroque hoc genere ſeparavit, & STISSERIAE nomen, ob certas rationes in eodem Catalogo p. 36. adductas, dedit. Hoc plantarum genus quoque diverſum ab illis, quarum nomen antea geſſerat, diu poſt Ill. DN. PRAESIDEM agnovit LINNAEVS, ſed nomen *Stiſſeriae*, a Botanico quondam huius Academiae egregio, ipſi ab Illo prius datum, & quo nomine etiam uſus eſt in F. Bot. p. 13. Crit. Botan. p. 13. & forte aliis in locis; poſtea reiicit, atque *Stapeliae*, a Stapelio, alio

 Bo-

Botanico, impoſuit. Quam vero ob rationem illud nomen iam A.1730 ab Illuſtr. DN. PRAESIDE conſtitutum reiecerit, & A. 1737. *Stapeliae* ſubſtituerit, non perſpicio aliam, quam ſi libere, quod res eſt, fateri licet, nimium eius innovandi deſiderium, praeſertim cum in Fund. Botan. aph. 238 dicat: *Nomina ad Botanici bene meriti memoriam conſervandam conſtructa, ſancte ſervo;* ac praeterea ipſe iubeat, *nomina antiquiora* ſive prius data, ſi ceterum nullo vitio laborent, prae recentioribus retinenda, eo addito elogio, *prior tempore, prior iure.* a) Nam ſi plantae cuidam in *Stapelii* honorem, *Stapeliae* nomen, dare voluiſſet, aliam facile, quae nomine apto inſtructa nondum erat, invenire potuiſſet: dum non paucis plantis nomina a viris dedit, qui nullum hucusque inter eruditos, & cumprimis Botanicos nomen habuerunt, in quorum unius locum facile *Stapeliae*, niſi praeter neceſſitatem innovare ipſi hic placuiſſet, ſubſtituere potuiſſet.

§. XI.

Cum praeterea Illuſtr. DN. PRAESES videret praeſtantiſſimos recentiores Botanicos, ut RAIVM, TOVRNEFORTIVM & BOERHAVIVM in plantis flore cruciformi donatis, generi Heſperidis & Turritidis *ſiliquas longas*, *teretes*, *cylindraceas*, inter notas adſcribere, ILLE vero ſpecies his annumeratas deprehenderet varias, quae flore quidem cruciformi cum Heſperide aut Turritide conveniebant, *ſed ſiliquis* (quae hac in claſſe ad genera conſtituenda & diſtinguenda magni ſunt momenti) *teretibus*, *cylindricis*, *deſtituebantur*, merito ex his, quae ſiliquas teretes cylindricas non habebant, peculiaria & nova genera conſtituenda exiſtimavit, ut hac ratione rite a ſe invicem diſtingui poſſint, & tyrones aliique non fallantur, aut dubii reddantur, ſi plantam flore cruciformi *ſiliquis*, v. g. *quadrangulis*, donatam inveniant,

a) Vid. *Linn.* Crit. Botan. p. 89. & alibi.

niant, quam ſi notas Heſperidis vel Turritidis didicerunt, aut legerunt, nunquam ad has, ſi ſapiunt, illas recte referri poſſe exiſtimabunt.

§. XII.

Ob has igitur cauſſas, dum *varias invenerat*, quae *primo habebant ſiliquas quadrangulas*, *longas*, *a caule multum diſtantes*, *in notis* vero characteriſticis Heſperidis & Turritidis *ſiliquae quadrangulae nulla fiebat mentio*, ergo etiam iudicavit, ſiliquis quadrangulis donatas eiusmodi plantas cruciformes recte ad Heſperidis vel Turritidis genus referri non poſſe, & diſcentibus errandi atque haeſitandi occaſionem praebere, rectius ipſis conſuli poſſe exiſtimavit, quia ipſe olim his notis incertus ac dubius factus eſt, ignorans quo hae plantae recte referri poſſint, ſi peculiare genus ex illis conſtitueretur, quae *ſiliquis longis*, *tenuibus*, *quadrangulis & praeſertim a caule multum diſtantibus* gaudent, cui generi novo ex antiquis, ſed male ad ea genera relatis ſpeciebus, quae cylindricas ſiliquas habere debent, conflatis, *Conringiae* nomen dedit, a celebri huius Academiae Medico & Polyhiſtore, Hermanno CONRINGIO, qui in ſua Introductione in artem Medicam tam bene de re herbaria ſcripſit, ut a TOVRNEFORTIO in Iſagoge ſua Inſtitut. Rei herb. praemiſſa, ſaepiſſime citetur & laudetur. Ita enim nunc Botanophili, ſi plantas eiusmodi flore cruciformi donatas offendunt, qui ſiliquas huic *Conringiae* generi adſcriptas invenient, non amplius haeſitabunt, uterum ad Heſperidis aut Turritidis, an ad aliud genus pertineant; ſed ex hac adeo manifeſta ac diverſa, a cylindrica figura, quadrangula ac longa, facilius, quam olim invenient, quod ad *Conringiae* genus pertineant.

§. XIII.

Porro cum inter ſpecies, ad Heſperidis quoque genus relatas, unam deprehenderet, quae *ſiliqua diviſura ſive figura*

Cornu Cervi donata eſſet, haec vero figura, niſi me omnia fallunt, a figura cylindrica quam maxime aliena eſt; hinc & hanc (& ſi quae aliae adhuc ſunt eiusmodi figurae) ab Heſperidis genere eximendam eſſe ſtatuit, atque novum ac peculiare genus accuratioris doctrinae cauſſa inde conſtituendum eſſe iudicavit, cui *Schelhameriae* nomen dedit, a SCHELHAMERO, Medico, Anatomico, & Botanico huius Academiae olim praeſtantiſſimo, quod, ni fallor, ſe ſatis ab affinibus notabili hac nota ſive ſiliquae figura diſtingit, ita ut neminem iure dubitare poſſe exiſtimem, *an non tam inſignis nota, a figura ſiliquae teretis adeo diverſa, ſufficiens & apta ſit ad peculiare* ac diverſum a ſiliqua cylindrica *genus ſtabiliendum.*

§. XIV.

Praeterea inter Heſperides, quarum ſiliqua, ut ſaepe dictum eſt, teres aut cylindrica eſſe debet, reperit ſiliquas *ſagittae ſimiles*, ſive apice certa ratione *tricuſpide* inſtructas. Quoniam vero haec nota ſive haec huius ſiliquae figura adeo diverſa & inſignis rurſus eſt, ut a ſiliqua ſimplici, tereti ſeu cylindrica, etiam a tironibus facile, ſi eam conſpiciunt, diſtingui ab aliis queat, novum genus ab Heſperide diverſum, inde quoque conſtituendum cenſuit, quod GAKENIAE nomine, ab Alex. Chr. GAKENHOLZIO inſignivit, qui per plures annos non ſolum horti Helmſtadienſis curam geſſerat, ſed & Botanica ſcripta edidit, atque tandem hortum Academiae Iuliae ſplendido, *mille nummorum imperialium uncialium legato*, ad ſtudium Botanicum hic promovendum, beavit.

§. XV.

Obiter vero hic adhuc notamus, quod, ſi alias nihil eſt in plantis, *unde aptum generibus novis nomen dari queat*, hoc optime, ex noſtra ſaltem ſententia, fieri poſſe exiſtimamus a Viro quodam celebri, erudito & praeſertim Botanico, aut qui

qui alias de re herbaria bene mereri ſtuduit, ſicut id etiam TOVRNEFORTIVS, PLVMIERIVS, BOERHAVIVS, PONTEDERA, aliique & quam maxime (quod laudandum) LINNAEVS fecerunt. Haec enim nomina ut Ill. Dn. PRAESES olim in *Diſſ. de Fol. utilitate*, in conſtituendis plantarum generibus oſtendere ſategit, ac poſtea LINNAEVS uberius in Crit. Botan. p. 77. demonſtravit, facile prae multis aliis & praeſertim Graecis, aliisve difficilioribus retinentur.

§. XVI.

Antequam vero ulterius in examinanda utili & inutili plantarum nominum mutatione progrediar, *fundamentum primarium* LINNAEI, *quo tantae*, at ſaepe *inutiles mutationes ab ipſo factae nituntur*, paullo curatius eſt examinandum; id quod in Fund. eius Botan. ac Critica Botanica continetur aphorismo 213. qui ita ſe habet: *Quaecunque plantae genere conveniunt, eodem nomine generico deſignandae ſunt;* quae verba priora in Critica ſua Botanica ita illuſtrat: *Quaecunque*, ait, *plantae fructificatione* (hoc eſt, flore & fructu) *conveniunt*, *eas eodem nomine generico* eſſe denominandas, hocque *primarium eſſe fundamentum*, cui tota ſuperſtructa eſſet ſcientia Botanices, *quod nullam admitteret exceptionem*, *nullam cautelam*, *ſed axiomatis inſtar nudum perſiſteret*, *aſſeverat*.

§. XVII.

Hoc poſtulatum, quod pro fundamento primario Botanices hic ponit, *novum quidem non eſt*, neque a LINNAEO primum excogitatum, ſed a plerisque, ſi non omnibus, Botanicis Methodicis iam fundamenti loco propoſitum eſt, atque etiam ab Ill. D. PRAESIDE aſſumptum; verum ob enormes confuſiones & noxas, quas inde, ſi ſimpliciter & ſine omni exceptione aut limitatione aſſumeretur, in re medica & botanica orituras eſſe perſpexerunt, *limitationes & exceptiones quasdam*, ſecundum tritum illud, *nulla regula ſine exceptione*, ad u-

num

num omnes admiſerunt, *id quod ipſos iure ac merito feciſſe atque adhuc hodie faciendum eſſe*, uno alterove exemplo oſtendere allaborabimus; ſic ut inde patere poſſit, *illud poſtulatum ſine limitationibus ipſi nunquam concedi poſſe* ab illis, qui confuſiones & errores in re medica, ut par eſt, ob rei dignitatem & gravitatem, ſerio evitare ſtudent.

§. XVIII.

Demonſtravimus iam ſupra §. IV., quod ex *Abrotano*, *Abſinthio & Artemiſia*, ex illa hypotheſi unum genus, *Artemiſiae* nomine, excluſis Abrotani atque Abſinthii nominibus conſtituerit. Sed heu *qualis & quanta confuſio in Medicina*, (in cuius tamen gratiam, ut ego ſaltem opinor, Botanica praecipue excolitur) *eſt oritura*, primo ſi LINNAEVS aut eius aſſeclae vel Abſinthium ipſum, vel eius eſſentiam, oleum, conſervam aut extractum ex officina pharmaceutica, ut moris eſt Medicis, deſiderent atque aegro praeſcribere vellent; dum loco Abſinthii, cuius genus & nomen expungit, *Artemiſiam*, quae odore, ſapore & viribus, magnopere ab abſinthio differt, praeſcriberent, quia Pharmacopoeus artemiſiam, aut eius eſſentiam &c. ſed non abſinthium, vel eius deſideratam eſſentiam, aegro mitteret, unde profecto idem effectus cum damno aegri non eſſet exſpectandus.

§. XIX.

Sed dicet forte LINNAEVS hic *non ſimpliciter Artemiſiam eſſe praeſcribendam*, ſed nomen ſpeciale, quod in horto Cliffortiano pro ſpecie illa Artemiſiae, quo Abſinthium intelligit, deſignanda dedit, formulae eſſe addendum, hocque nomen prius ab omnibus aliis Medicis & Pharmacopoeis eſſe diſcendum atque ſciendum, ſic errorem ac confuſionem evitari poſſe. Hoc vero nomen ſpeciale ita ſe habet: *Artemiſia, foliis compoſitis, multifidis, floribus ſubgloboſis, pendulis, recepta-*

ceptaculo pappoſo. Sed quot hic rurſus poſtulata requiruntur concedenda, quae ob multas graves rationes plerique, imo longe maxima pars Medicorum haud concedent, Pharmacopoei vero haec aliaque adeo prolixa nomina, dum nimis difficilia, diſcere recuſabunt, atque *dum unico abſinthii vocabulo idem dicitur*, quod in Linnaeano *novem*, ſtultos ſine dubio illos Medicos iudicabunt, qui ita praeſcribere vellent.

§. XX.

Deinde ſi qui etiam Medici hoc aliave eiusmodi nomina LINNAEI prolixiſſima addiſcere eisque ſe ſenſim aſſueſcere, Abſinthii vero oblivisci vellent (nam Pharmacopoei, ut vereor, nunquam id facient, cum quibus tamen neceſſario Medici commercium habere, &, ut illi intelligant, ſcribere debent, ob innumeros eosque graviſſimos alias inde metuendos errores) incommoda tamen & damna a mutatione nominis abſinthii in artemiſiam hoc ipſo nondum ſuperaſſent, ſed, praeter haec, *ſcriptores quoque Medicos & Pharmaceuticos, imo & ipſos Botanicos intelligere non poſſent*, ſi illos legere vellent, vel, ut par eſt, deberent. Nam dum LINNAEVS genus Abſinthii non habet, adeoque nec nomen, omnes illos ſcriptores Medicos, quos vulgo *practicos* ſive clinicos appellant, & qui ab HIPPOCRATIS & CELSI tempore, usque ad hodiernum diem ſcripſerunt, atque abſinthium & abrotanum (quorum nomina in Artemiſiam LINNAEVS mutavit) laudarunt atque commendarunt, ignorabunt, quaenam ſint illae plantae ſub abſinthii aut abrotani nomine ab ipſis commendatae: atque ſic nullum fructum ex libris eorum capere poſſent, niſi omnia haec ſcripta prius ita mutarentur, ut ſemper, ubi abſinthium vel abrotanum & medicamenta inde praeparata nominarunt, nomina nova eaque prolixiſſima LINNAEI ſubſtituantur; id quod vero nunquam eſt ſperandum. Cum denique haec tria nomina in u-

num contrahere voluerit, *ex tribus illis potius* Abſinthii, tanquam uſitatiſſimum, merito *retinere* debuiſſet, primo quia hoc ex his eſt notiſſimum, atque vel centies præſcribitur, antequam Artemiſia vel ſemel adhibetur, & deinde etiam, quia CELSVS, Medicorum *Cicero*, eo utitur; dum contra Artemiſiam in hoc non inveni.

§. XXI.

Atque idem prorſus ſentiendum eſt de ceteris omnibus plantis, medico uſui dicatis, & in officinas pharmaceuticas receptis, quarum nomina uſitata LINNAEVS mutavit, aut ad alia genera retulit, prout magnam horum partem ſupra §. IV. recenſuimus. Iuvat tamen exempli loco adhuc pauca hic in medium adducere, ut mira, quae in Medicinam ex LINNAEI hypotheſibus induceretur confuſio, tanto melius pateat. Itaque *Acetoſae* & *Lapathi* genus receptiſſimum non ſolum in unum genus, ut alii quidam iam ante ipſum, ob eandem fructificationem fecerunt, in unum quoque genus contrahit; qui vero ante LINNAEVM hoc fecerunt, *Acetoſae genus* ſub genere *Lapathi* comprehenderunt, & prius *Lapathum acido vel acetoſo ſapore* vocarunt, atque ſic tamen unum ex iſtis nominibus uſitatis, quod etiam antiquum eſt, retinuerunt, ne nimia fieret mutatio, & hoc ipſo tanto minor oriretur confuſio. Verum LINNAEVS mutatione Acetoſae in Lapathi genus non eſt contentus, ſed ut tanto maior mutatio (ne dicam confuſio) in re Medica & pharmaceutica fieret, & Acetoſae & Lapathi nomen, quod tamen CELSVS, praeſtantiſſimus Medicorum Latinorum ſcriptor, uſurpavit & poſtea Medici plerique fere omnes, reiicit, atque nomen recentioribus temporibus prorſus obſoletum, in CELSO non reperiundum, atque in officinis ac libris Medicis inuſitatum, RVMICIS ſcilicet, ſubſtituit, haud memor, moniti ſapientiſſimi CICERONIS, quando dixit: *Cave ne obſoetis utaris vocabulis*, praeſertim ubi bona & uſitata in promptu

ptu ſunt. Si quis enim *radicem acetoſae vel lapathi ſub rumicis nomine praeſcriberet*, nullus forte pharmacopoeorum ipſum intelligeret, & ſi forte exercitatior quidam audiviſſet, quod LINNAEVS haec duo genera ſub inuſitato *rumicis* nomine intelligat, ignorabit tamen, *utrum acetoſae an lapathi* radicem recipere deberet, niſi forte hortus Cliffortianus ipſi in promptu eſſet, atque Medicus per nomina ibidem valde prolixa, quibus Acetoſam a Lapatho diſcernit, utrumque diſtinxiſſet. Ita enim in horto Cliffortiano pag. 138. planta, quam *Lapathum acutum* vocant Medici atque officinae, ipſi appellatur, *Rumex floribus hermaphroditis*, *valvulis dentatis*, *granulo incumbente auctis*, quod nomen alias nullus pharmacopoeus intelligeret. *Acetoſa* vero pratenſis aut vulgaris, qua in officinis vulgo utimur, *Rumex foliis oblongo-ſagittatis* ipſi vocatur: quae duae autem, quando, ut vulgo fieri ſolet, nomine Lapathi acuti & Acetoſae praeſcribuntur, ex his nominibus omnes Pharmacopoei norunt, quid Medicus velit. *Si adhuc optimum Lapathi nomen retinuiſſet*, atque Lapathum acetoſum quis praeſcriberet, multi forte adhuc intelligerent, quid Medicus velit; ſed *ſub rumicis nomine* vix ullus.

§. XXII.

Helenii nomen & genus quoque exterminat atque ex hypotheſibus ſuis ob floris ſcilicet & fructus ſimilitudinem, ad Aſteris genus & nomen refert, nomine prolixiſſimo, nimirum *Aſter foliis ovatis*, *rugoſis*, *ſubtus tomentoſis*, *amplexicaulibus*, *calycum ſquamis ovatis*, *patulis*: quibus undecim vocabulis nihil aliud dicit, quam quod alii Medici unico *Helenii* dicunt, atqui hi a Medicis & pharmacopoeis omnibus intelliguntur; LINNAEVS vero & qui eum ſequi volunt, vix ab unico. Atque ita ſe res habet in multis aliis. Mirandum, quod cum *aliis in rebus brevitatem in re herbaria adeo amet* & commendet, ita *ut nullum nomen neque genericum*, neque claſſicum *ex duobus vocabulis conſtans admittendum eſſe cenſeat*, ſic-

ut patere poteſt ex Fund. Botan. eius §. 221. 222. 223. 224. 225, tamen, ubi plantae medicae, ut Helenium aliaeque multae unico ſaepe nomine quam aptiſſime nominari poſſent, atque ab aliis etiam ita nominantur & intelliguntur, LINNAEVS tamen ſaepe nomina 6, 8, 10 ad 12 vocabulis conſtantia, nomini ſimplici, ſed peſſimo inſtituto, praefert.

§. XXIII.

Ad *Teucrii* genus, ob fructificationis ſimilitudinem refert genera quam plurima, antiquis & anteceſſoribus noſtris, imo & adhuc plerisque Medicis hodiernis ac Pharmacopoeis diſtincta, qualia ſunt *Aiuga*, *Bugula*, *Chamaedrys*, *Chamaepytis*, *Iva*, *Marum*, *Polium*, *Scordium & Scorodonia*; quae omnia hucusque ſuis ſignis a ſe invicem diſtincta ſunt ab aliis, quia in Medicina ſaepius adhiberi & *unico ac ſimplici nomine diſtingui* atque praeſcribi ſolent. Haec vero omnia *ad unum genus Teucrii refert*, *ſed adeo prolixis nominibus* a ſe invicem diſtinguit, ut nauſeam profecto plerisque iis ipſis excitet. Sed ne omnes has plantas eius nominibus hic enarremus, atque forte Lectoribus nimiam nauſeam hic creemus, nonnulla tantum exempli loco proferemus, ex quibus de ceteris facile iudicare licet: reliqua vero qui noſſe vult, in horto Cliffort. p. 301. & ſeq. evolvere facile poterit. Itaque

AIVGA ſive *polium* ipſi appellatur, *Teucrium foliis lanceolatis integerrimis petiolatis*, *ſpicis laxis ſubrotundis*.

BVGVLA; *Teucrium foliis obverſe ovatis crenatis*, *caule ſimpliciſſimo*, *flagellis reptatricibus*.

CHAMAEDRYS; *Teucrium foliis ovatis*, *inciſo crenatis petiolatis*, *floribus laxe verticillatis*.

MARVM; *Teucrium foliis ovatis*, *utrinque acutis integerrimis*, *floribus ſolitariis ſpicatim digeſtis*.

SCORDIVM; *Teucrium foliis ovato-lanceolatis*, *ſerratis ſeſſilibus*, *floribus ſaepe binis*. Ubi ſemper ſeptem, octo, novem, vel decem vocabulis non plus dicit, quam veteres & alii

Me-

Medici recentiores, unico *Aiugae*, ſive polii, *Bugulae*, *Chamaedrys*, *Mari* aut *Scordii.*

§. XXIV.

Heu! *quae prolixa formula eſſet oritura, ſi quis modo nominatas plantas* §. XXIII, *vel ſimul vel ſaltem pleraſque pro una compoſitione, id quod ſaepius contingere poteſt, praeſcribere vellet.* Sane duae vel tres ſimul ita praeſcriptae quam plurimis imo & ipſis pharmacopoeis eorumque famulis ac pueris riſum movebunt: quid non fieret, ſi plures ſimul in unam reciperentur formulam? *Quid per pauca fieri poteſt, non debet fieri per plura,* ipſe alias ſaepe inculcat: cur id etiam hic non facit? Quando uno vocabulo omnibus Medicis & pharmacopoeis plantam illam perſpicue indicare poſſum, quam volo, quid opus eſt decem, quae rem ſane magis obſcurant, quam illuſtrant, ſicuti exempla adducta rerum peritis facile perſuadebunt. Non dicam, quod vix ullus par ſit retinendis nominibus illis prolixiſſimis. RIVINVS ſane haud poſtremus ex Botanicis Methodicis, iam riſit eos in Introductione ſua in rem herbariam, p. 11. & de Flor. mon. p. 8. qui *Scordium* ad *Chamaedryn* referre voluerunt ſub nomine *chamaedrys paluſtris, hirſutae, allium redolens*, dicendo, abſonum eſſe multis dicere vocabulis, quod unico *Scordii* dici poſſet: quid non faceret, ſi nomen longe prolixius LINNAEI de hoc aliisque generibus Medicis audiret. Itaque ob multa eiusmodi *abſona, quae ſequuntur, quando genera nonniſi ex fructificatione conſtituere vellemus*, hypotheſis LINNAEI §. 213. ſine exceptionibus aſſumi, noſtra ſententia non poteſt.

§. XXV.

Atque *eadem confuſio eademque* incommoda *metuenda ſunt de pleriſque ceteris* ſupra recenſitis §. IV. nominibus ſive *generibus plantarum officinalium*, ſi Linnaeana nomina, loco veterum ac receptorum in formulis velimus adhibere. Ut v. gr. loco

Bardanae, *Arctii;* loco Cardiacae, *Leonuri;* loco Caryophylli vel Tunicae, *Dianthi;* loco Caryophyllatae, *Gei;* loco Chaerophylli, *Scandicis;* loco Cydoniorum, *Pyri;* loco Elaterii, *Momordicae;* loco Filipendulae, *Ulmariae;* loco Foeni graeci, *Medicaginis;* loco Hederae terreſtris, *Glechomae* aut *Glechomatis;* loco Lupuli, *Humuli;* loco Maioranae, *Origani;* loco Petaſitidis, *Tuſſilaginis;* loco Pſyllii, *Plantaginis;* loco Sennae, *Caſſiae;* loco Zingiberis, *Amomi;* & ſic porro: ut ſi quis praeſcriberet:

℞. rad. arctii - gei-amomi. a ℥ſs.
herb. leonuri-ſcandicis - glechom.
flor. dianth.-antirrhini a. M. j.
ſem. pyri-medicag. a. ℥j. M. quae formula ſignificare deberet

℞. rad. bardan-caryophyllat-zingib. a ℥ſs.
herb. cardiac-chaerophylli, heder. terr.
flor. tunic. - linariae a M. j.
ſem. cydon.-foeni graeci a ℥j. M.

An non inde maiores imo ſummae, *quae unquam in Medicina fuerunt confuſiones, orirentur?* quia plerique & Medici & adhuc minus Pharmacopoei haec nomina intelligunt; unde metuendum eſſet, ne hi falſa ſaepe pro veris, imo prorſus ſaepe contraria in formulas medicas recepturi eſſent. a) Adeo-

a) Cum in hac conſcribenda diſſertatione occupatus eſſem, & Ill. DN. PRAESES in lectionibus ſuis chirurgicis ex Inſtitut ſuis chirurg. caput de *Paronychia* explicaret, laudavit fomentum HILDANI contra hoc malum, quod ex floribus chamaemeli, & meliloti, itemque ex ſem. foeni graeci & cydonior. in lacte coctis conſtat, in mentem mihi venit hanc compoſitionem exercitii cauſſa nominibus *Linnaei* hic tradere, dum omnia quatuor ab eo mutata ſunt, quae itaque eius ſtylo ita ſe habent.

℞. fl. matricar. foliis ſupra decompoſitis, ſetaceis, pedunculis ſolitariis

tri-

Adeoque recte inde concludi poteſt, illum, *qui talia condit fundamenta botanica*, quae tot tantisque *erroribus occaſionem praebent*, *tantasque confuſiones* in rem herbariam & Medicam inducunt, *pro genuino aut orthodoxo Botanico haberi non poſſe;* quippe qui perſpicuitatem & certitudinem potius plantarum officinalium, *quia Botanica propter Medicinam potiſſimum colitur*, docere, eoque ipſo confuſiones noxas & errores in Medicina, qui ex confuſione & incertitudine alias provenire poſſunt, evitare debet.

§. XXVI.

Sed opponet forte aut reſpondebit LINNAEVS, ſe tamen *abrotanum*, *abſinthium*, *artemiſiam* itemque *chamaedryn chamaepytin*, *marum*, *ſcordium* &c. ad *idem genus retuliſſe*, *quia ſimili fructificatione*, ut loqui amat, *donatae ſunt* hae plantae, atque idem de *Helenio* & Aſtere, *Senna* & Caſſia, *Maiorana* & Origano, aliisque modo adductis verum eſſe, *adeoque & ad idem genus* redigendas atque *eodem nomine* inſigniendas eſſe. Verum quilibet prudens & praeſertim Medicus, *facile in regula quadam limitationes admittit*, quando caſus videt, ubi illa regula damna & noxas inferre poteſt, vel ubi ex illa regula aut axiomate nimis ſtricte ſumto noxae oriuntur: atque hoc in Medicina adeo frequens eſt, ut ſapientiſſimus CELSVS poſtquam omnes Medicinae regulas aut praecepta probe examinaverat & multi doctiſſimi Medici cum ipſo tandem ſtatuerint,

flor. trifolii, florib. racemoſis, leguminibus nudis diſpermis, caule erecto. a. m. i.
ſem. medicaginis, leguminibus fere ſolitariis ſeſſilibus, erectis, reflexo falcatis acuminatis.
pyri, foliis integerrimis a ℥j. M.
Ratione Paronychiae etiam hic monere volui, quod SEGVIERIVS in Bibliotheca ſua Botanica WEDELIO diſſertationem adſcribat Botanicam de Paronychia. Quae vero non eſt Botanici argumenti ſed de morbo paronychia agit.

rint, *Medicinam nulla praecepta habere perpetua*, id eſt, quae limitationes aut exceptiones non habeant; quod doctrina de venaeſectione, purgantibus & vomitoriis, *de indicantibus & contra indicantibus, quam efficaciſſime comprobant.* Cur igitur & hoc loco ob dictas rationes, *confuſiones ſcilicet & errores in Medicina evitandos*, *limitationes* atque exceptiones non admittemus, ubi res magni momenti hoc exigunt. Si LINNAEVS tempore HIPPOCRATIS vixiſſet, illud axioma introducere potuiſſet, & alii ita eum ſecuti eſſent; iam vero ob nimias inde metuendas confuſiones, haud apte ſuccedit. a)

§. XXVII.

Denique, quamvis hanc regulam, tanquam fundamentum totius ſui ſyſtematis botanici tam ſanctam eſſe cupiat, *ut nullam prorſus limitationem* aut exceptionem *admittere velit*, tamen dum in Fund. Botan. ſuis §. 213. hanc, de qua hactenus egimus, Regulam ponit, nimirum: *Quaecunque plantae genere conveniunt (165.) eodem nomine generico deſignandae ſunt*, provocat ad explicationem quatuor vocabulorum priorum ad §. 165. ſuorum Fundamentorum, qui ita ſe habet: *Quaecunque plantae in fructificationis partibus conveniunt*, limitatis limitandis, *non ſunt in primaria diſtributione diſtinguendae.* In hoc §. 165. ubi de eodem argumento loquitur, adeoque huc provocat, *limitationes admittit*, dum ſine dubio ibi perſpexerat,

a) Cum *Moriſonus* ex iisdem *Linnaei* fundamentis nomina quondam Medica plantarum & ſpeciatim Althaeae etiam in Malvae mutare vellet, *Raius*, qui tamen Medicus non fuit, ſapienter & recte in Meth. Plant. pag. m. 88. edit. 1703. dixit; *Conſultius me iudice, feciſſet, ſi* Althaeae *nomen non ſollicitaſſet, nec eam ex eius poſſeſſione, qua per multa ſecula gaviſus eſt, deturbaſſet*, ad confuſionem vitandam, *quae ſequeretur, ſi nomen* Althaeae *aliud in Medicorum & Botanicorum omnium libris, qui hucusque ſcripſerunt, aliud in* Moriſoni *denotaret.*

xerat, hanc regulam ſine confuſionibus & erroribus inducendis *abſque limitatione* ſtare non poſſe; & ita quoque agit in §. 166. ubi ait: *Quaecunque* (165.) *plantae in fructificationis partibus*, obſervatis obſervandis, *differunt*, *non ſunt combinandae*, ubi rurſus eadem in re limitationes aperte concedit. Quando vero in Crit. Botan. ad explicationem illius §. 213. pag. 7. pervenit, eorum, quae §. 165. & 166. Fund. Botan. dixerat, quaſi oblitus, *limitationes*, quas in his manifeſte conceſſerat, *non amplius admittere vult*, atque ſic, ut mihi ſaltem videtur, ſibimet contradicit.

§. XXVIII.

Quod vero hoc non ſolum verbis his, ſed etiam revera faciat, illamque regulam. *quaecunque plantae genere* (h. e. flore & fructu) *conveniunt*, *eodem nomine generico eſſe deſignandas*, & *quaecunque*, vi contrariorum *differunt*, *non eſſe combinandas*, *ſed disiungendas*, adeoque nec eodem nomine deſignandas, haud adeo ſtricte & *ſine limitatione* obſervet, pluribus exemplis demonſtrare poſſem: ſed, ne nimis hic ſim prolixus, nonnullis tantum hoc praeſtabo. 1) In Diſſertatione iam ſaepius citata Cl. Dn. D. GOECKELII in Method. Linn. §. 71. ex ipſius LINNAEI ſcriptis variis exemplis oſtenſum eſt, *ipſum ad idem genus & nomen multas plantas reducere*, *quae tamen in fructificatione ſive flore & fructu revera differunt.* Idem in eadem diſſertatione iam demonſtratum eſt de *Primulis* & *Auriculis*. §. 42. ad 50. itemque de *Alſine* §. 56. ad 63. 2) Ex *valerianis* LINNAEI, ubi in horto Cliffortiano plantas multas, & ipſas etiam *Valerianellas* aliorum Botanicorum *ad idem genus & nomen valerianae refert*, quarum tamen *in quibusdam flores*, ut calcare donati & calcare carentes, magisque minusque regulares; *in quibusdam vero fructus ſive ſemina ſunt diverſiſſimi*; dum in valerianis plumula ſive pappo ſunt inſtructi, in *valerianellis* vero eis careant, quae itaque iuxta §um 66. qui praecipit, ut *quaecunque plantae in fructificationis partibus differunt*, *non*

 ſint

ſint combinandae, *nec coniungendae;* id quod tamen, limitando ſine dubio regulam generalem, facit.

§. XXIX.

Praeterea ANTIRRHINI genere ac nomine combinat *Antirrhinum* TOVRNEF & BOERHAV. aliorumque Botanicorum, ei vero iungit genus *Linariae*, *Aſarinae*, *Cymbalariae* & *Elatines*, quae tamen inter ſe invicem flore & fructu differunt. Sic *Fabas* reducit ad *Viciae* genus; ubi tamen quilibet ruſticus & femina agnoſcit, *fructum fabae a vicia eſſe diverſum*, & ſi alterutrum nomen in alterum mutandum fuiſſet, rectius, me iudice, *Viciae* omiſiſſet, & *Fabae*, tanquam notius & forte etiam antiquius retinere debuiſſet. Ita *Phaſeoli* quam maxime *ſeminibus* inter ſe differunt: dum pleraque *reniformia*, alia tamen etiam ſunt *ovata*, alia *rotunda*, alia *anguloſa;* interea tamen contra datam regulam eos ad unum genus reducit. Ad FVMARIAE genus & nomen a LINNAEO in Gen. Plant. refertur *capnoides T. cyſtacapnos & capnorchis* BOERHAV. *Pſeudofumaria* Riv. & *corydalis* Dill., quamvis ipſe ibidem indicet, quod *fructificatione*, hoc eſt, flore & fructu *differant*, atque etiam ob hanc diverſitatem a modo nominatis Botanicis Methodicis in diverſa genera diviſa atque diverſis nominibus appellata ſint. *Si eiusmodi differentias fructificationis non attendit*, *miror*, *cur totam plantarum papilionacearum claſſem non ad unum genus retulerit*, quia omnes in eo conveniunt, quod *flores proferant papilionaceos & legumina pro fructu*, in quibus ſemina variae figurae, plerumque tamen rotunda, vel lentiformia, vel ovata vel reniformia, continentur, ex quibus tamen multas in diverſa genera diviſit, *quae fructu mehercule tantopere non differunt*, ut fumaria, capnoides T. & cyſtacapnos BOERHAV. Quomodo igitur haec eius regula ſtare poteſt ſine exceptione aut limitatione, *quae fructificatione differunt non eſſe combinandas*,

das, cum plantas fructu longe diverſiſſimas in uno genere & ſub uno nomine generico hic combinet. *Lens* profecto longe aliud ſemen profert quam *Cicer*, quod in hoc eſt *irregularis figurae*, atque ut ipſe LINNAEVS in Gen. plant. ait, *capitis arietis formam habet* & tamen Lentis genus extinguendum atque ad ciceris genus ac nomen reducendum eſſe vult, ac revera etiam reducit, quaſi *inter figuram lentis & capitis arietis nulla eſſet differentia*, atque ex hac inſigni differentia ſola, ſi aliae deeſſent, diſtingui & antiqua haec duo genera ac nomina ſervari non poſſent. Accedit, quod *nomen lentis* millies, antequam *ciceris* vel ſemel, audiatur, ſic ut nomen adeo uſitatum & notum non tantum praeter neceſſitatem, *ſed peſſimo conſilio & male* reiiciatur.

§. XXX.

In HYACINTHI genere, quod LINNAEVS 1.) ex *Hyacintho* T. & BOERH. qui flores habet monopetalos tubuloſos, infundibiliformes, baſi ventricoſos, limbo ſexpartito, 2) ex *Muſcari* T. & BOERH. (quod flores monopelatos habet, vel ovatos vel globoſos, in botri formam utpl. compactos) unde & *botryoides* dicti ſunt. 3) *Hyacinthos floribus hexapetalis* donatos, quos LINNAEVS Hyacinthum *corollis campanulatis ſexpartitis* in hort. Cliffort. p. 125 appellat, & ex quo, dum flore diverſiſſimo eſt, a duobus praecedentibus monopetalis, nimirum hexapetalo, petalis diſtinctiſſimis doct. DN. PRAESES merito & iure (ſecundum LINNAEI axioma illud, *quae fructificatione differunt*, ad quam & flos pertinet, *non coniungenda, ſed ad diverſa genera* referenda) *Hyacinthoidis* genus fecit, quia flores *monopetali & hexapetali recte ſub uno genere*, ſecundum hanc regulam, *ſtare nequeunt*. Imo quod magis miror, in Gen. Plant. p. 96. Num. 273, ubi *Hyacinthi* characteres tradit LINNAEVS, ei tribuit *corollam campanulatam, monopetalam, limbo ſexfido, reflexo*. Sed nullam

 ibi

ibi floris ſive corallae hexpetalae, aut ad fundum usque floris ſexpartiti, *ſed tantum limbi*, hoc eſt oris, *ſexfidi*, *mentionem facit*, & tamen poſtea plantas huc ad *monopetalum genus* refert, quae *flores hexapetalos*, ad fundum usque ſexpartitos, nusquam inter ſe cohaerentes, adeoque *revera hexapetalos obtinent.* Imo ipſe in horto Cliff. pag. 126. fatetur ſe diverſos flores ad hoc genus referre, dum lin. 5. ait : *Obſervandum in hoc genere tot dari corollarum figuras*, *quot ſpecies.* Ex quo manifeſtum eſt, ipſum eas, quas praeſcripſit regulas, & quidem, quam praecipuum & *primarium totius Botanices fundamentum eſſe vult*, non ſervare, ſicuti hoc & in plerisque aliis ſuis regulis, ut alias demonſtrabimus, non facit.

§. XXXI.

Eadem, ni fallor, perverſa ratione tria antiqua genera diverſa, ſcilicet, *Lilium convallium*, *Polygonatum & Unifolium* ad unum *Convallariae* genus reducit, atque ſic ſimul omnia illa nomina iam diu uſitata, extinguit, & novum ſubſtituit, cum tamen flores horum generum figura ſint diverſiſſimi, atque ſic fructificatione non conveniant. *Baſellam*, ſpecioſam Malabarorum plantam, quae inſignem baccam pro fructu fert, ad *cuſcutae genus* refert, quod capſulam ſiccam valde exiguam, pro fructu producit, atque a *facie Baſellae* quam maxime recedit. Unde rurſus patet, quod *plantas fructificatione prorſus differentes ad idem genus*, *contra data ſua praecepta reducat*, id quod adhuc exemplis quam plurimis, ſi luberet, probare poſſemus; Sed haec nunc ſufficiant.

§. XXXII.

In plantis, quae medico non ſunt in uſu, & ubi nulla noxa inde metuenda, neque aliud quid obſtat, Axioma illud §. XVI. cum ceteris Botanicis facile aſſumo; ſed ubi

noxa

noxa, *damnum & confuſio* pertimeſcenda, aut etiam *nomina abſona inde generantur*, aut alia ratio id exigat, axioma hoc, cum praeſtantiſſimis recentioribus Botanicis, tam ſtricte haud obſervandum eſſe cenſeo. Hi enim dudum ante LINNAEVM, & cumprimis RAIVS, TOVRNEFORTIVS, BOERHAVIVS, KNAVTIVS, DILLENIVS & VALLANTIVS ſimilitudinem fructificationis *in Abrotano*, *Abſinthio & Artemiſia* optime iam obſervarunt & agnoverunt ; verum ob hanc cauſſam, quamvis idem illud axioma §. XVI. pro fundamento totius Botanices poſuerint, *tamen has plantas*, *ob confuſiones in Medicina inde oriundas*, *non ad idem genus redigere*, *aut eodem nomine generico inſignire voluerunt ;* ſed re curatius perpenſa, eas diſtinctis prorſus & antiquis ſuis nominibus ſemper diſtinxerunt, atque *ex aliis plantarum harum partibus*, *fructificationi ſuperadditis*, *& praecipue foliis*, *cognoverunt*, ita ut etiam vel Pharmacopoeorum vel hortulanorum pueris, imo rudibus femellis rhizotomis aut ruſticis non difficile fuerit has plantas etiam ſine reſpectu ad flores, multo minus eorum ſtamina aut piſtillos cognoſcere easque a ſe invicem diſtinguere & nominatim *ex certa naturali uniuscuiusque foliorum figura ac facie*, quibus etiam *odorem & ſaporem* addiderunt, iisque *ſignis non artificialibus*, (uti LINNAEVS ea ſaepe appellat, quae a fructificatione non deſumta ſunt) *ſed naturalibus*, ſine errore adhuc hodie haec tria genera longe facilius ac promptius agnoſcunt atque a ſe invicem diſtinguunt, quam omnes, qui LINNAEI ſigna copioſiſſima, multo labore ab ipſo deſcripta prius perſcrutari in iis volunt.

§. XXXIII.

Obiter vero hic monere volui, *odorem & ſaporem plantarum* a LINNAEO ex ſignis characteriſticis promiſcue reiici. Vid. Fund. Bot. §. 267. 268. Cum vero *Abſinthium officinarum certo odore fragranti ac ſapore ſimul amariſſimo prae-*

 di-

ditum ſit, alia vero ſpecies abſinthii detur, abſinthio officinarum quam ſimillima, ſed ſine ſapore & odore, atque hinc etiam *abſinthium inſipidum* hactenus dictum eſt: male profecto ageretur, ſi in abſinthii collectione pro uſu medico odor & ſapor negligeretur, atque *inſipidum loco veri ac ſapidi ſumeretur:* nam facile, opinor, omnes prudentes Medici ac Phyſici mecum aſſeverabunt, *inſipidum* illis viribus, quas amarum ſive ſapidum obtinet, minime donari, ſed *potius pro uſu Medico haud colligendum eique forte prorſus ineptum eſſe;* id quod etiam in aliis plantis ſapidis aut fragrantibus medico uſui deſtinatis, obſervandum eſſe cenſeo, ne inſipidae aut inodorae loco ſapidarum & fragrantium colligantur, atque in uſum adhibeantur: quia, mehercule, illum effectum, quem odorae & ſapidae exerunt, praeſtare non poterunt. Praeterea *ſaporis* & *odoris* plantarum & praeſertim officinalium *exploratio* Botanophilis & propterea eſt commendanda, quia ex horum notitia tanto melius de plantarum qualitatibus & viribus iudicium ferre poſſunt.

§. XXXIV.

Sed ut ad telam noſtram antea coeptam §. XVIII. redeamus, ſtatuimus *tria illa nomina*, *abſinthii*, *artemiſiae & abrotani*, ad morem maiorum noſtrorum in Botanica, ob frequentem eorum in Medicina uſum *neceſſario eſſe retinenda*, atque propterea a *ſe invicem genere diſtinguenda*, brevique nomine, ut hactenus factum eſt, inſignienda. Hoc vero ex LINNAEI hypotheſibus & praeiudicatis opinionibus fieri nequit; quia in unum genus ea perperam confundit, quae ab antiquiſſimis, ad haec usque, temporibus in tria diſtincta fuerunt. Hinc iure concludendum, illum, *qui diſtinguenda confundit*, eoque ipſo gravibus in Medicina erroribus anſam praebet, *non orthodoxum* aut genuinum, *ſed heterodoxum & Botanicum & Medicum eſſe.* E contrario, qui plantas medicas

cum

cum veteribus in ea genera, quae diutiſſime in uſu fuerunt, recte diſtinguit, & notas praebet, quibus rite cognoſci atque a ſe invicem diſcerni poſſunt, undecunque etiam deſumantur, recte docere, atque *genuinum ſive orthodoxum & Botanicum & Medicum eſſe*, ſicuti & RAIVS & RIVINVS & BOERHAVIVS aliique magni Botanici fecere.

§. XXXV.

Quoniam vero *hae tres plantae officinales antiquiſſimae ex foliorum* figura *& totius plantae facie*, (praeſertim ſi *odor & ſapor* uniuscuiuscunque ſimul in auxilium vocetur) etiam a vulgo facile cognoſcuntur, atque a ſe invicem diſtinguuntur, ſicut uſus diuturnus atque experientia manifeſte docuerunt, fatuus ſit ille qui non ex iisdem etiam ſignis, ac praeſertim ſi ad *capitulorum florum* in iis tribus generibus, (ut alibi uberius oſtendemus) figuram quoque *lenticulatam* in abſinthio, *ovatam* vel *cylindricam* in abrotano & artemiſia ſimul attendet, has plantas, a natura in tria genera diſtinctas cognoſcere queat. Quae cum ita ſint, ſequi inde exiſtimo, *illos non pro heterodoxis Botanicis eſſe habendos*, quo nomine LINNAEVS eos infamare geſtit, *qui etiam folia*, partes plantarum conſtantiſſimas, quae primum in plerisque prodeunt, & quam diutiſſime durant, quando nimirum florent & fructus ferunt, imo adhuc poſtea ſaepe durant, ut ſemper fere contemplari queant, una cum partibus fructificationis, ad genera promtius cognoſcenda ac dignoſcenda, adhibent; quemadmodum non ſolum veteres, qui absque methodo artificiali ſive arte, ſed ſola natura duce id fecerunt, verum etiam ipſi recentiores praeſtantiſſimi Botanici methodici, prout uberius ex Cl. DN. PRAESIDIS Diſſertatione, *de Foliorum utilitate* in conſtituendis Plant. Gener. videri poteſt, qui cum noſtra ſententia ſaepiſſime conſentiunt, cum LINNAEI vero diſſentiunt.

§. XXXVI.

Illi igitur *vim naturae mihi inferre videntur*, *qui charactères plantarum adeo anguſtis cancellis*, contra ſententiam praeſtantiorum veterum & recentiorum, *includere*, *atque non niſi fructificationem inter notas characteriſticas* admittere, folia vero, partes plantarum vel aeque utiles ac nobiles, vel ſaltem ſatis praeſtantes & non adeo contemnendas, ex neſcio, quo odio aut praeiudicata opinione in ipſa, (unde *miſophylli* ii merito appellari poſſent) ea in dignoſcendis & diſtinguendis certarum plantarum generibus abſolute admittere nolint; cum tamen *natura noſtris ſemel in mente fabricatis hypotheſibus*, *ſe*, *ſine innumeris confuſionibus non accommodet*, *aut adſtringi ſe patiatur*, *ſed vult ut nos ipſum ſequamur*, & notas non ex hypotheſi, verum ex iis partibus, unde cognoſci & ab aliis diſtingui poſſunt, petamus: quae vero, cum ad diſtinguenda genera *aliis etiam partibus plantarum*, *quam fructificatione utatur*, ſicut revera in tribus illis hactenus ventilatis generibus aliisque quam pluribus facit, ex ſola autem fructificatione conſiderata, utpote mala, ut hactenus demonſtratum eſt, hypotheſi, *genera quam diutiſſime diſtincta* mire confunduntur, quas natura & uſus diuturnus diſtincta ſemper eſſe voluerunt.

§. XXXVII.

Ut vero *ſententia* Clar. DN. PRAESIDIS *de foliorum in cognoſcendis* & diſtinguendis plantarum generibus *utilitate recte percipiatur*, & non ſiniſtre, ut a quibus factum eſt, interpretetur vel diſtorqueatur, ac ſi ſcilicet SOLA FOLIA *ad conſtituenda plantarum genera*, *excluſis floribus* & *fructibus*, *adhibenda eſſe velit*, ille ſciat, *ipſum* quam longiſſime ab hac abeſſe ſententia; verum potius EVM cum aliis Botanicis methodicis *floribus & fructibus primas ſemper in hoc negotio tribuere* partes; attamen ſic, ut, ubicunque & quoties eiusmodi caſus

ſus incidunt, ut plantae, & cumprimis *medicae*, ex ſolis floribus & fructibus ſive ſeminibus, ſicut in *Abſinthio*, *Abrotano & Artemiſia* aliisque pluribus plantis fieri ſolet, a ſe invicem commode diſtingui non poſſint, *quae ab antiquis temporibus a Medicis fuere diſtinctae*, *& diverſis nominibus inſignitae*, cognitae atque uſurpatae, & ſine qua diſtinctione errores in re herbaria & praeſertim medica eſſent metuendi, aut manifeſto inducerentur; aut ubi & genus quoddam, ob alias graves rationes, ut ſupra §. VIII. ad XV. de *Heſperidis* genere iam diximus, atque inferius forte adhuc de aliis dicemus, in plura genera melioris doctrinae aut perſpicuitatis cauſſa; vel & cumprimis, *ubi ad nomina ſpecierum nimis prolixa, quae nauſeoſiſſima ſunt, breviora reddenda*, eſt dividendum: id quod ad memoriam diſcentium iuvandam quam plurimum confert, *folia*, imo & *radices*, *caules*, *calices*, aliasve plantae partes, *modum quoque creſcendi*, *caule vel erecto vel volubili*, *floribus vel in ſummis caulibus*, *vel ex alis foliorum*, ac ſimilia, quae hoc ab aliis diſtinguunt, a) partim ut nomina uſitata ſerventur, errores noxii evitentur, contradictiones tollantur, & pulchrior diſtributio inſtituatur, in auxilium vocanda atque aſſumenda eſſe exiſtimat.

§. XXXVIII.

Nam *ſicuti morbi omnes non ex una corporis parte*, non ex ſolo capite, facie aut pectore, non ex ſolo pulſu aut urina cognoſci poſſunt, niſi graves circa illorum cognitionem & curationem committere velimus errores; ita & plantarum genera non ex una plantae parte, non ex ſolo flore aut fructu, multo *minus ex ſolis partibus genitalibus*, *ſemper agnoſci debent;* ſed hic morbus magis ex capite & facie, alter magis

ex

a) exempla dedit EXC. DN. PRAESES partim in Catalogis ſuis horti academici, partim in diſſ. de Folior. utilit.

ex pectore aut ventre, alius ex pedibus vel manibus, vel aliis corporis partibus: atque ſicuti *ridiculum eſſet, omnes morbos ex partibus genitalibus*, vel in regno animali ex his partibus omnia animalia cognoſcere velle; ita & plantae ex partibus earum genitalibus ſolis non ſemper agnoſcendae. Saepe quidem ex floribus & fructibus ſolis eas cognoſcere poſſumus; *interea tamen etiam multas ex foliis aliisque plantae partibus, in auxilium ſimul cum fructificatione vocatis*, ut exemplis abſinthii, abrotani & artemiſiae probavimus, atque *ex plantis unilabiatis aliisque* multis uberius facile probari poteſt, rectius cognoſci & ab aliis diſtingui poſſe exiſtimo, ſi illos errores, quos inde alias oriri, ſupra §. XVIII. indicavimus, evitare velimus.

§. XXXIX.

Conſentimus enim in hoc cum Illuſtr. BOERHAVIO, qui, ubi *de optima plantarum methodo*, in praefatione ſua ad Indicem ſuum plantarum alterum horti Lugd. Batavi, agit, pag. 13. ita diſſerit: „ *Neque etiam arcte ita adhaereſcimus uni* „ *parti plantae*, ut ſecundum eam ſolam ordinemus affines, „ imo vero *vivida, ſponte obvia, ſtabilis, & magna partium affinitas quarumcunque*, ſaepe characterem aliis praeferendum „ dabit. Probe novi (pergit) *minus probari hanc Raianam* „ *Methodum magnis in arte magiſtris:* crediderim tamen ne„ ceſſitatem eius patere iis, *qui diverſas ab hac regula Methodos colunt.* Sed ex ipſis claſſibus deſcribendis, conſtituen„ disque generibus, veritus haud fui *characteriſticas notas* „ *iam ab hac, iam ab altera iterum in aliis, petere, parte*, prout „ magis liquido facilis cognationis ſpecies apparebat, us„ que adeo, ut videas in una hac ſyntaxi noſtrarum ſtir„ pium plurima uniri, quae diſperſim ſcripſere alius de a„ lio Syſtemate Botanico. Unde & plus ſemel contigit, „ definito generis charactere, ſubnecti quasdam plantas, in

„ qui-

„ quibus exquiſite haud deprehenditur praefixa generi no-
„ ta, *dummodo ingens adeſt interim in aliis convenientia* cum
„ iis, quibus character nomenque generis debetur. *Vide-
„ turque magis ſic iuvari diſcentium memoria per hanc negligen-
„ tiam, quam nimis ſollicitam & obſcuram diligentiam eorum,
„ qui minima ſubtiliſſime ſectando naturae abdita verius, pul-
„ chro quidem inſtituto, revelant, quam quod facilitatem doctri-
„ nae diſcentibus expediant.* „ Quae profecto verba viri ſapientiſſimi tam acute *hypotheſes* LINNAEI de *ſtaminibus & piſtillis dubias*, nimis ſubtiles & incertas, *in conſtituendis generibus ex ſola fructificatione* aliasque redarguere videntur, *ut quaſi a vate, divo oeſtro agito*, mihi ſcripta & quaſi e tripode dicta, videantur.

§. XL.

Atque ſic partim rationibus, partim autoritate ſummorum in hac ſcientia virorum, me eviciſſe exiſtimo, *characteres plantarum non ſemper ex ſola fructificatione*, ut LINNAEVS nimis rigoroſe contendit, eſſe petendas ; verum *& ex aliis haud raro plantarum partibus naturalibus*, *ſtabilibus*, ſponte obviis, aut *vividis*, ut BOERHAVIVS ait §. 39, hoc eſt, facile in ſenſus incurrentibus, *non autem a nimis ſubtilibus*, vix, aut ſaltem difficillime obſervandis : quia idem autor graviſſimus eadem in praefatione haud inepte p. 15. inquit: *difficilibus iſtis nugis effici, ut ſtulta difficilisque appareat Botanice:* id quod profecto in magnum dedecus Botanicae cedit, *eamque fere ridiculam facit* quam plurimis.

§. XLI.

Porro *nomina generum ex duobus vocabulis integris ac diſtinctis facta e Republica Botanica releganda eſſe vult*, Fund. Bot. §. 221, atque ea etiam in ceteris ſuis ſcriptis exſtirpare ſtudet: qualia ſunt *Auricula urſi*, *Burſa paſtoris*, *Corona Imperia-*

 lis,

lis, *Foenum graecum*, *Lingua cervina*, *Virga aurea aliaque plura.* Verum quia veteres probatiſſimi Autores & nominatim CELSVS ac PLINIVS, quorum vocabula ne ſeveriſſimi quidem Critici carpunt, iam iſtiusmodi nominibus uſi ſunt, eaque non nova finxerunt, ſed iam ab anteceſſoribus ſuis acceperunt, qualia ſunt, *Centum capita*, *Fel terrae*, *Foenum graecum*, *Haſtula regia*, *Hedera terreſtris*, *Labrum veneris*, *Lupus ſalictarius*, *Olus atrum*, *Pecten veneris*, *Sanguinalis herba*, *Scopa regia*, *Semper vivum*, *Staphis agria*, *Virga ſanguinea*, aliaque ſimilia, immerito, mea quidem ſententia, reiiciuntur; hoc enim eſſet veteres Latinos velle docere, qua ratione & quibus vocabulis loqui debuiſſent. Ad imitationem igitur veterum ſcriptorum claſſicorum, quos in loquendo & ſcribendo imitari tuto licet, praeſertim cum nullus error, nulla confuſio, nullumque damnum in Medicina & Botanica inde oriatur, Botanici ſuperiorum ſeculorum, imo & recentiſſimi adhuc alia eiusmodi nomina plantis quibusdam & quidem ſaepe haud male dederunt, quae, quia a ſequentibus retenta & ſicut vetera in Botanicam introducta, atque diuturno uſu ſic ius quaſi civitatis in Botanica adepta & Veterani omnes iis aſſueti ſunt, non reiicienda eſſe exiſtimo, praeſertim ſi ſimul in officinis pharmaceuticis recepta ſunt, ut *Burſa paſtoris*, *Foenum graecum*, *Lilium convallium*, *Lingua cervina*, *Ros marinum*, *Virga aurea*, quia novis nominibus eaedem confuſiones eademque mala, quae ſupra §. V. VI. XVIII. XX. ad XXV. indicavimus, inducerentur. *Coronae imperialis nomen* adeo uſitatum ac notum eſt omnibus, ut immerito reiiciatur, praeſertim quia ipſe LINNAEVS Fund. Botan. 241. dicit: *Nomina generica Patrum Botanices, ut etiam uſitatiſſima & officinalia, retineri debent;* Et licet ex duobus vocabulis hoc nomen conſtet, & Corona imperialis uno vocabulo latino indicari nequit, tamen *haec duo vocabula*, ſicut caetera haec nomina, *unam tantum rem denotant*, atque ſplendida ſpecioſorum florum, in forma coronae diſpoſitio, cum ſu-

ſupereminentium foliolorum faſciculo, in modum criſtae ſuper galea Imperatorum aliorumque Magnatum, efficit, ut nomen *Coronae imperialis*, *licet ſatis longum ſit*, *hic facile* a quocunque, leviter in latina lingua verſato, imo ipſis hortulanis *memoria retineatur*, longeque profecto facilius, quam inuſitatum hactenus & obſoletum vocabulum *petilium*, quod LINNAEVS in locum notiſſimi, ſine prolata ratione, vult ſubſtitui, quamvis illud nihil quicquam abſurdi nihilque barbari habeat & *citra noxam Botanices* hoc aliaque eiusmodi vocabula ſtare queant, quae *toleranda eſſe* ipſe LINNAEVS Fund. Bot. 239. *iubet*.

§. XLII.

Igitur vel ex conficta tantum ſibi hypotheſi, vel *ex ſtudio innovandi*, & loco conſuetorum nova vel antiqua obſoleta nomina in Botanicam, *ſine ulla utilitate*, *ſed potius cum damno* inducendi, *tam acerbe in nomina illa*, & eos, qui iis utuntur, *invehitur*, ut indecora ratione in Crit. Bot. p. 23. *ſtultum illud eſſe* temere proclamat, *per pauca agere*, *quod per pauciora fieri poſſit*, atque ſic etiam pro ſtultis illos habebit, qui nomina eiusmodi excogitarunt, vel iis hactenus uſi ſunt: cuius turpiſſimi facti, ſi quid adhuc humanitatis in ſe habet, ſane pudere ipſum deceret, *cum plures rationes eſſe poſſint*, *quare* quid per plura ſaepe perficiatur, quod per pauca fieri potuiſſet. Nam *quod rationis loco, cur nomina illa tantopere reiicienda eſſe velit*, profert, *vocabulum ſcilicet unicum ſemper facilius retineri*, *quam duo*, *ſaepe falſiſſimum eſt*: quia certus ſum, quod a quovis adoleſcente ſive iuvene, imo puero, qui vel mediocriter tantum in latina lingua verſati ſunt, longe facilius Corona imperialis, quam *Petilium*; Dens canis, quam *Erythronium*; (quod in locum illius ſubſtituit) Dens leonis, quam *Leontodon*; Lingua cervina, quam *Aſplenium*, & ſic porro, memoria retineantur, cum haec graeca nomina, quae, ut alias rationes nunc taceam, pleriſque iuvenibus

prae latinis illis facillimis horriſona & barbara, aut quaſi talia, videntur. Praeterea *mutatione hac in Medicinalibus plantis eaedem confuſiones* & incommoda, proveniunt quae ab aliarum officinalium oriri ſupra §. V. VI. XVIII. XX. ad XXV. probavimus. Denique ipſe *hoc ſuum praeceptum*, ſicuti pleraque alia circa nomina, *non ſervat:* dum non ſolum genera *Roris marini* & *Semper vivi*, ex duobus vocabulis conſtantia, retinet atque uſurpat, verum etiam his adhuc novum, nomine *Cornu copiae*, antiquis haud uſitatum, ſuperaddit. Quando vero haec tria LINNAEO placent & bona ſunt, atque ſtare poſſunt, cur non etiam plura alia, quae aliis prudentibus hactenus placuerunt, nihilque abſurdi habent, & praeſertim officinalia, atque genere *Cornu copiae* longe antiquiora, quorum plura ſuperius §. XLI. ex ipſis Patribus Botanices aliisque praeſtantioribus Botanicis alibi recenſuimus. Cum igitur eiusmodi nomina plantarum 1) ſint antiqua, 2) nihil utplurimum abſurdi habeant, 3) nullum damnum in rem Medicam inferant, 4) aeque facile aut profecto ſaepius adhuc facilius retineri queant, quam ſubſtituta graeca, 5) multa earum officinalia ſint, & 6) LINNAEVS ipſe quibusdam utatur, *ut graeca eiusmodi nunc taceam*, male profecto imo peſſime cetera reiicit.

§. XLIII.

E contrario demonſtrabo, haec plantarum nomina plerumque non ſolum *nihil habere, ob quod iure reiici debeant;* verum potius *longe meliora multis aliis, imo ex optimis eſſe.* Nam pleraque in his duobus vocabulis *notam eminentem quaſi in ore gerunt*, ut cuilibet prudenti cognitio plantae, quam deſignat, admodum facilitatur, ſicuti exemplis id ſatis probari poteſt: ut *Auricula muris & urſi*, nomina haec mihi indicant, quod in his plantis aliquid ſit, *quod cum auriculis muris aut urſi ſimilitudinem habet*, & cui vel ſemel hae plantae, praeſertim in flore, cum his nominibus demonſtra-

ſtratae ſunt, facile haec nomina & ſimul plantas addiſcet, eorumque non facile obliviſcetur. Ita quoque ſe habet *Burſa paſtoris*, *Calceolus Mariae*, *Corona imperialis*, *Corona aut flos ſolis*, *Dens canis*, *Dens leonis*, *Ferrum equinum*, *Lingua cervi*, *Primula veris*, *Semper vivum*, *Virga aurea*, *Virga argentea*, *Virga ſanguinea ;* quae omnia profecto facilius a iuvenibus retinentur, quam multa alia, quae hoc commodum non obtinent, & praeſertim graeca, valde prolixa aliave horriſona aut enunciatu difficilia.

§. XLIV.

Ad *hanc noſtram ſententiam & inutiles* LINNAEI *mutationes* adhuc uberius probandas, *Dens canis* nobis exemplum erit, quem *Erythronium* appellat. Quilibet iuvenis, qui illud nomen vel ſemel tantum audivit, atque ſemel radicem illius plantae vidit, iſti non facile nomen hoc facillimum, praeſertim cum ratio nominis radici eius quaſi inſculpta haeret, e memoria excidet. Verum *Erythronii* vocabulum quilibet fatebitur longe difficilius retineri, 1) *quia graecum eſt*, & ratio nominis huius longi non patet, graecaque vocabula plerumque, fatente id non ſolum RIVINO in Introduct. ſed & ipſo LINNAEO in Crit. Bot. §. 295. difficilius retinentur; 2) quia *nomen eſt multo longius*, quam conſuetum; nam *Dens canis* conſtat ex ſyllabis non niſi tribus, *Erythronium* vero ex quinque, adeoque fere duplo longius, quod hinc & difficilius longe & pronunciatur & memoria retinetur. *Nomina generica ſesquipedalia*, *enunciatu difficilia & nauſeabunda fugienda eſſe* LINNAEVS praecipit, Fund. Bot. 249. multaque etiam eiusmodi in Crit. Bot. pag. 134. 135. bene emendat. Hoc vero in vocabulo, loco nominis brevis, contrarium facit, & loco triſyllabi, *pentaſyllabum* ſubſtituit; atque ſic contra propria profecto praecepta varia ratione peccat, *praeſertim cum & difficilius ſit pronunciatu, & ſimul nauſeabundum ;* quia, ut ipſe hoc vocabulum explicat, cum a-

liis

liis conſuetis nominibus botanicis nullam fere ſervat ſimilitudinem.

§. XLV.

Quaedam quidem ex his nominibus apte breviora reddi poſſunt, atque etiam a nonnullis iam breviora reddita ſunt, ita ut pro Auricula urſi, *Auricula* ſimpliciter, eodem modo, ut loco *Primulae veris*, ſolum *Primulae* vocabulum adhiberi ſoleat. Ita pro *Calceolo Mariae*, ſimpliciter *Calceolus;* pro *Canna indica*, ſolum *Canna;* pro *herba Paridis*, ſolum Paris; pro *flore Adonis*, ſimpliciter *Adonis;* pro *Lacryma Iobi*, ſimpliciter *Lacryma;* pro *Ruta muraria*, ſolum *Muraria;* pro *Utrinque ſerrata*, *Serrula*. Pro *Rore ſolis* iam dudum Cel. HEVCHERVS ſubſtituit *Rorellam* a), pro Auricula urſi T. *Auriculam*; & Nidus avis, ſimpliciter *Nidus* ipſi vocatur. Haec quidem LINNAEVS *abſurda* vocat; b) verum ego hac in re nihil abſurdi conſpicio, quod HEVCHERVS hic commiſerit; ſed ille vocabulis contumelioſis etiam erga viros praeſtantiſſimos & bene meritos valde liberalis eſt, atque ſaepius *abſurdum* aut *ſtultum* appellat, quod cum hypotheſi ſua non convenit, aut ipſi haud placet; ubi vero alii prudentes nihil eiusmodi tam amarulenta & indecora animadverſione dignum invenire poſſunt.

§. XLVI.

Quaedam etiam horum nominum prorſus expungi aliaque aptiora ſubſtitui recte poſſe exiſtimamus, & imprimis *Vitis Idææ* nomen, quod pro *Vaccinio* aut myrtillo ſumi ſolet, 1) quia

a) LINNAEVS aptiſſimum hoc vocabulum expungit & in graecum *Droſeram*, ſine gravi ratione, mutat. An vero *Rorellae* nomen non ſit facilius, aptius & ſuavius, aliis diiudicandum relinquam.

b) in Crit. Botan. p. 24.

quia *cum vite nihil habet ſimile:* quippe quae longe diverſiſſimum ab illo eſt plantae genus, adeoque male *vitis* appellatur; 2) quia *Synonyma proſtant* aeque vel adhuc magis *uſitata*, & pleriſque, qui latinam intelligunt linguam, notiſſima, nimirum *Vaccinium* & *Myrtillus*, quae nomina huius plantae iam in ſcholis a pueris diſcuntur, atque ſic pleriſque nota ſunt: hinc a mutatione nominis *vitis idææ in Vaccinium* nihil quicquam confuſionis aut erroris eſt metuendum, *& nomen huic plantae incongruum* aboletur. Atque idem eſt ſentiendum de aliis eiusmodi nominibus, quae aliquid abſoni habent, ut de *Cannabi ſpuria*, *Urtica fatua aut mortua* aliisque ſimilibus: *quae pauca vero exempla efficere non debent, ut reliqua apta & uſitatiſſima eiusmodi ex duobus vocabulis conſtantia nomina* cum aliis & praeſertim novis aut minus idoneis permutentur.

§. XLVII.

In Fund. Bot. & Crit. Bot. §. 222. etiam vult, *Nomina generica ex duobus vocabulis integris & coniunctis vix toleranda eſſe*, uti ſunt *Corindum Sanguiſorba*, *Saxifraga*, *Sempervivum*, *Vincetoxicum*. *Virgaurea.* Verum hic rurſus reſpondemus, quod haec nomina, quae longo uſu iam ſunt recepta, atque cumprimis in pharmacopoliis uſitata, ob confuſiones & errores evitandos reiici non debeant, praeſertim 1) cum eorum pauca ſint, 2) quaedam CELSO, PLINIO aliisque veteribus iam uſitata, uti ſunt *Oluſatrum*, *Quinquefolium*, *Trifolium*, *Rosmarinus*, *Sempervivum*, *Staphiſagria* aliaque plura. 3) Quia ipſe LINNAEVS eiusmodi nominibus non ſolum utitur, ut *Biſtortae*, *Rosmarini*, *Sanguiſorbae*, *Saxifragae*, *Sempervivi*, *Trifolii*, verum adhuc nova, ut *Paſſifloram*, pro *Granadilla* T. & BOERH. *Biſerrulam* pro Serrula; *Biſcutellam* pro Perſpicillo iis ſuperaddit. Rationis quidem loco, quare haec vocabula vix ſint toleranda, profert, quod *alias Eloquentiae Magiſtri haberent. quae*

 re-

reprehenderent in Botanicis. Conſentimus quidem, imo & volumus, puritatem linguae, etiam in re herbaria, quantum fieri poteſt, eſſe ſervandam, atque ipſi vocabula barbara in novis nominibus conficiendis evitare ſtudemus, atque hinc etiam nomen *Paſſiflorae Linnaei*, quia barbarum prorſus videtur, probare non poſſumus. Interea tamen, primo *Vetera iſtiusmodi nomina inepte reiiciuntur*, & deinde ſi quae forte eiusmodi nomina ab inſtauratoribus Botanicis, ad veterum normam confecta, & iam per longum tempus uſitata ſunt, ſic ut ius civitatis quaſi adepta ſint, etiam ut terminos artis, moderati Eloquentiae Magiſtri tolerant, ipſeque LINNAEVS non nulla horum retinuit, mirumque eſt, ipſum hic ſolum cenſuram Criticorum vereri; nam ſi hi ſcripta eius & quam plurima ab eo recens excogitata vocabula cenſurae criticae ſubmittere vellent, materia profecto ipſis haud deficeret, eum ex hoc capite quam acerbiſſime traducendi. Adeoque antiqua, aut quae iam dudum uſurpata eiusmodi ſunt nomina, & citra noxam Botanices ac Medicinae ſtare poſſunt, ob confuſiones ex nominum minus neceſſaria mutatione evitandas, toleranda eſſe exiſtimamus, praeſertim cum LINNAEVS ſaepe longe difficiliora in illorum locum ſubſtituat: ſicut vel ſolum nomen *Corindum*, quod ex tribus ſyllabis conſtat, & ceterum ad plantam, quam denotat, haud ineptum, mutet in multo longius, ſcilicet *Cardioſpermum*, quod ex quinque componitur & a iuvenibus aliisque in graecis minus exercitatis longe profecto difficilius, quam hactenus uſitatum TOVRNEFORTIANVM, addiſcitur, retinetur & enunciatur. Igitur diu uſitata eiusmodi nomina eaque praeſertim ſatis apta, male cum novis, quamvis etiam meliora eſſent, transmutantur, multo minus, cum minus aptis: nam ipſe LINNAEVS ait in F. B. §. 243. *Nomen genericum dignum, alio,* licet aptiori, *permutare non licet.*

§. XLIIX.

§. XLIIX.

In §. 223. nomina generica ex *vocabulo graeco & latino ſimilibusque*, (*ut ex barbaro & latino compoſita*,) *quae Hybrida vulgo vocantur*, non agnoſcenda eſſe vult, ut *Cardamindum* ex Cardamine & indus a TOVRNEFORTIO compoſitum: interea tamen ipſe, contra hanc ſuam doctrinam, retinet nomen *Tamarindi*, quod ex *Tamar*, vocabulo barbaro, & indus eſt conſarcinatum, ſine dubio quia iam a longo tempore eſt uſitatiſſimum, quam ob cauſſam & nos hoc & alia ſimilia iam ſaepius retinenda eſſe ſuaſimus & adhuc ſuademus. Ita &, dum in ſequenti §. 224. *Nomina generica, ex uno vocabulo plantarum generico fracto*, altero integro, *compoſita*, *reiici vult*, *eaque Botanicis indigna* proclamat, uti ſunt *Lauro-ceraſus*, *Lili-aſphodelus*, *Lilio-narciſſus*, *Lilio-fritillaria*, *Lychni-ſcabioſa &c.* quae cum multis aliis eiusmodi mutavit, ei graves ob rationes in multis aſſentire non poſſum; licet pro more contumelioſa ratione in eos invehatur, qui ea vel excogitarunt, vel etiam tantum iis utuntur, quando in Crit. Bot. p. 29. ſcribit: *haec nomina idiotis magis digna videri, quam doctis Botanicis;* cum tamen varia eiusmodi a TOVRNEFORTIO & BOERHAVIO, itemque a BVRMANNO & aliis egregiis Botanicis, haud ſine ratione confecta ſunt. a) Cum enim haec nomina, ſicuti ea in §. XLIII. notas quasdam illarum, quas deſignant plantarum, quaſi in fronte gerant, dum *Lauro Ceraſus* aliquid habeat de *lauro*, & aliquid de *ceraſo*, melius ſaepe hae & aliae eiusmodi ex ſolo fere nomine cognoſcuntur, quam ex amplis deſcriptionibus, atque & a diſcentibus & hortulanis etiam facile diſcuntur, atque me-

a) *Linn.* in Bibl. Bot. praefat. dum de his & ſimilibus Botanicis, cum laude diſſerit, tandem exclamat. Ah *quanti viri! quae nomina!* Hic vero *idiotis* eos accenſet; alibi, ut ſupra iam §. XLII. & XLV. innuimus, *abſurdis*, imo *ſtultis*.

moria retinentur. Obiicit quidem & dicit, *ſi Laurus eſt, cur addis ceraſum*, ſi ceraſus, *cur Laurum?* & ſic de *Liliasphodelo* aliisque ſimilibus. Ad hanc obiectionem vero facile reſpondetur, ſcilicet quia illa *non eſt perfecta laurus*, neque *perfecta ceraſus*, ſed *de utraque aliquid habet*, hinc aptiſſime hoc combinatis eiusmodi nominibus ſaepe indicatur; id quod & de *Liliasphodelo*, *Lilio-Narciſſo* aliisque eſt ſentiendum, atque hucusque etiam ab aliis facile agnitum eſt. Praeterea p. 30. ait: *ego a charactere addiſco nomen, non a nomine characterem.* Sed ſi a vel ex nomine character diſci poteſt, an propterea nomen reiiciendum? Minime! praeſertim cum in Fund. Bot. & Crit. Bot. §. 240. ipſe ſtatuat: *Nomina generica, quae characterem eſſentialem, vel faciem plantae exhibent*, OPTIMA eſſe. Cum vero haec in his plantis reperiantur, ex ſua ipſius ſententia debent eſſe OPTIMA, & ſi forte non *optima*, ſaltem *bona;* ita ut male ea §. ſuo 224. reiiciat, atque ſimul apparet ex dictis, quantopere ſibi ipſi contradicat. *Haecce nomina praeterea ex regno quoque animali comprobantur*, dum zoologi animalibus, quae a duobus diverſis aliquid ſimile habent, nomina etiam ex duobus compoſita ipſis indiderunt, ut praeter alia, vel ſolum *Leopardi* nomen docere poteſt, quia hoc animal de *leone* & *pardo* participat: quare etiam ad exemplum horum & illorum quondam non dubitavit Excell. DN. PRAESES genus quoque *Ranunculasphodeli* in catal. ſuo Plant. 1730. conſtituere.

§. XLIX.

Carpit praeterea atque *excludenda eſſe vult* §. 225, *illa nomina, quibus ſyllaba una vel altera praeponitur, ut aliud poſtea plane genus, quam quod antea, ſignificet:* exempla ſunt *Chamaedrys*, *Chamaepytis*, *Hydropiper*, *Ionthlaspi*, *Lycoperſicum*, *Micronymphaea*, *Melilotus*, *Periclymenum*, *Pſeudoacacia*, *Pſeudodictamnus* & alia, atque *fraudis* incuſat illos in Crit. Botan. p. 31, qui haec no-

nomina fecerunt, & maior eorum catalogus p.32. videri poteſt. Verum quia haec nomina non ſolum vetuſtiſſimis ſcriptoribus & Patribus Botanices ac ſpeciatim PLINIO in uſu fuerunt, quorum vocabula carpere & reiicere velle mihi aeque abſonum videtur, ac ſi quis CICERONIS reiicere vellet, & cum praeterea recentiores praeſtantiſſimi Methodici, quos ſaepius iam nominavimus, non ſolum illa nomina veterum retinuerunt, verum ad imitationem illorum quoque adhuc nova condiderunt, *peſſime facit* LINNAEVS, *quando & antiquiſſimos & recentiores ſummos Botanicos Viroſque honeſtiſſimos*, fraudis *hic inſimulare audet :* adeoque obiectio haec nullam uberiorem meretur refutationem, verum potius recte antiqua haec genera & ſimul recentiora ſervantur, niſi forte vel nimia vocabuli prolixitas, aliudve ſimile incommodum mutationem aptam ſuadeat.

§. L.

In §. 226. *Nomina generica* in oides *deſinentia*, *e foro Botanico releganda eſſe praecipit*, & §. 227. *Nomina generica*, ait, *ex aliis nominibus genericis*, *cum ſyllaba quadam in fine addita*, *conflata*, *non placent.* In ambabus hisce hypotheſibus praeter omnem neceſſitatem, & potius in magnum rei herbariae detrimentum reiicienda & *mutanda vult omnia illa generum plantarum nomina* iam introducta, *quae ab aliquo generis nomine iam uſitato*, *per mutationem quandam finis aut ultimae* ſyllabae eius conſtructa aut derivata ſunt, ad *oſtendendam affinitatem duorum*, *trium aut plurium etiam generum*, atque hoc ipſo *ad memoriam* diſcentium *iuvandam :* v. gr. ſi ab Anemone fit *Anemonoides;* ab Allio, *Alliaria ;* a Bugloſſo, *Bugloſſoides ;* ab Alſine, *Alſinella* & *Alſinaſtrum ;* ab Aſtragulo, *Aſtraguloides ;* ab Apio, *Apiaſtrum ;* ab Helleboro, *Helleborine* & *Helleboraſter ;* a Lilio, *Liliaſtrum ;* a Thlaspi, *Thlaspidium*, &c. quibus omnibus Botanici recentiores generum horum, quorum nomina affi-

 nia,

nia, affinitatem quoque aut ſimilitudinem in pluribus vel quibusdam ſaltem partibus docere voluerunt; verum *in horum locum nomina plerumque prorſus* a nomine radicali aliena, multa cum diſcentium moleſtia ſubſtituit *Linnaeus*, eoque ipſo *iis duplo maiorem laborem*, quam alias haberent, praeter omnem neceſſitatem aut utilitatem concitat, eorumque memoriam tot prorſus differentibus *& nihil ſaepius cum affini ſimile habentibus nominibus* vehementer gravat & onerat.

§. LI.

Prae ceteris vero his vocabulis nunc paullo intimius *nomina illa in ides*, *odes ſive oides*, quae idem indicant, *deſinentia* examinabimus atque oſtendemus, *qua iniuria & quam inepte ſaepius nomina haecce praeſtantiſſima mutet.* Primo enim nomina eiusmodi plantarum in *ides* vel *oides* deſinentia veteribus Graecis & Latinis, ut ſupra iam diximus, in uſu fuerunt, *adeoque vera & genuina graeca ſunt*, quae ne ſeveriſſimi critici iure carpunt & *quae* propterea *reiicere velle aeque abſonum eſſe exiſtimo*, *ac ſi quis alia vocabula graeca vel latina*, ut πατηϱ vel μητηϱ, pater aut mater, vel ſimilia, quibus HOMERVS, aliive ſimiles autores claſſici uſi ſunt, *reiicere & in eorum locum alia ſurrogare*, ſicque antiquos Graecos ac Latinos graece aut latine loqui vel ſcribere docere vellet. Haec vocabula praeterea ab Ἐιδος, h. e. forma, ſpecies ſive facies, compoſita ſunt, *tam apta exiſtunt ad affinitatem cum aliis iam cognitis* indicandam, ut nihil ſupra. Adeoque & praeſtantiſſimi quique Botanici haec nomina tam commoda & apta deprehenderunt iisque ea prae aliis adeo placuerunt, ut ad imitationem veterum quamplurima eiusmodi nomina formaverint atque iure adhibuerint: quemadmodum ex RIVINO, TOVRNEFORTIO, BOERHAVIO, VAILLANTIO, PONTEDERA, DILLENIO, MILLERO, aliisque bonis Botanicis videre licet. Imo doctiſſimus RAIVS licet difficillimus ad

no-

nova nomina introducenda fuerit, (conf. ſupra §. VI.) & vix ullum novum generis nomen confecerit, tamen *Anemonoides*, plantae Anemonae affinis, ex ſuaſu egregii quondam Botanici Leidenſis HOTTONI datum, in Meth. Plant. p. 190 probavit, atque unice fere prae multis aliis introduxit. Adeoque profecto non ſufficit ad haec nomina e Botanica, graves ob rationes a viris ſummis conſtructa, eiicienda, quod LINNAEVS in Fund. Bot. aph. 226, contra rationes & autoritates tot praeſtantiſſimorum Botanicorum tam audacter ſtatuat: *Nomina generica in* OIDES *deſinentia e foro Botanico releganda ſunt.*

§. LII.

Rationes pro his nominibus adeo aptis e foro Botanico relegandis nullas affert graves, ſed profecto leves, vel & ex parte omnino ludicras: nam in Crit. Botan. p. 34. primo ea nomina *Amaſiam recentiorum* per ironiam, ſibi vero *abominabilem*, vocat. Verum quae Amaſia *Hippocrati*, *Theophraſto*, *Dioſcoridi Plinio*, *Galeno* & poſtea tot magnis viris, ad hodiernum usque diem placuit, illa mehercule non adeo deformis, multo minus *abominabilis*, (ſicut LINNAEVS eam ſibi fingit & vocat) eſſe poteſt, alias tot profecto non placuiſſet & adhuc placeret emunctioris naſi viris. Deinde ait, *veteres omnium rariſſime haec vocabula adhibuiſſe*; ſed primo hoc negamus. Interea tamen fingamus aliquantiſper hoc verum eſſe, variae dari poſſunt rationes, quare veteres haec nomina, non tam ſaepe, ut recentiores, adhibuerint; *quia nimirum paucorum tantum generum plantarum cognitionem habebant*, quae aliis nominibus iam inſtructa erant, aut facile pro lubitu illorum inſtrui potuerant; ſed cum creſcente & aucto valde ab aliquo tempore plantarum numero, nomina apta recentioribus deficiebant, affinia vero, hactenus notis, genera ſeſe obtulerunt quamplurima, haecce vocabula in *oides* vel *odes* aptiſſima tunc pro iis iudicarunt, praeſertim cum pri-

primitiva fingere hodie vix probari queat, obſoleta vero antiqua pro novis plantis haud apta iudicaverint.

§. LIII.

Deinde nunc oſtendam, quod *reſpectu paucorum generum, quae veteribus cognita erant, ii revera ſatis multa in oides ſive ides* iam formaverint. Nam mihi decem circiter ex antiquis nota ſunt, nimirum *Aſcyroides*, *Caucalides*, *Cumineides*, *Daphnoides*, *Ocymoides*, *Phacoides*, *Scorpioides*, *Seſamoides*, quibus addi poterit *Buniades*, *Citrides* & *Dendroides* Plin. & forte adhuc plura inveniri poterunt. Haec decem vero aut XI. nomina in *ides* aut *oides* ad plantas, quae DIOSCORIDIS ac PLINII tempore notae erant, vix ultra quingentas fuerunt, adeoque fere ita ſe habent, ut duo ad centum. Si nunc numeramus ex recentioribus quibusdam ſcriptoribus, qui plantas plerasque hodie in Europa notas deſcripſerunt, vel ſaltem in Catalogo quodam enumerarunt, quales ex iis, qui nominibus in oides uſi, praecipui ſunt TOVRNEFORTIVS & BOERHAVIVS, reperimus in TOVRNEFORTII Inſtitutionibus XX. & in Coroll. Inſtitut. XII, coniunctim XXXII, & in BOERHAVII Indice altero H. L. B. genera eiusmodi XL circiter, incluſis TOVRNEFORTIANIS fere omnibus. Quibus poſtea nonnulla acceſſerunt, quae applauſum apud Methodicos invenerunt. a) Si haec pauca genera *in ides* comparantur cum ingenti copia plantarum, quae hodie cognitae ſunt, & *decem forte millia* ſuperant, perſpiciemus veteres reſpectu paucitatis, quae ipſis innotuerant, contra LINNAEI ſententiam, plura vel ſaltem quod mirandum, *non pauciora eiusmodi nomina habuiſſe*, *quam nos hodie habemus*.

§ LIV.

a) *Linnaeus* quidem in Crit. Bot. p. 35. plura recenſet; ſed varia ex eis, ob varias cauſſas in uſum non venerunt; alia vero, ut *Pſeudognaphaloides* & *Pſeudolimonioides*, forte ipſe confinxit, ut numerum ſolum eorum magis, quam re vera eſt, augeret.

§. LIV.

Sed ponamus (licet id nondum concedamus), veteres pauciora eiusmodi genera habuiſſe, rationes quasdam §. LII. huius rei iam expoſuimus. Deinde vero ſciendum, quod, *tametſi tantum decem circiter eiusmodi nomina apud veteres reperiantur, ea tamen ſufficere ad oſtendendum*, nomina haec eſſe bona, ita ut non ſolum a ſeveriſſimis criticis ut barbara reiici non poſſint, ſed ut iis etiam tuto uti, atque ad horum exempla quoque alia nova ad eandem rationem formare queamus.

§. LV.

Praeterea LINNAEVS eadem pag. 34. Crit. Bot. admodum amarulento ſive ignominioſo ſcribendi modo multis magnis inſultat viris, dum ait: *Recentiores, & ſi libere effari licet,* INFERIORIS SVBSELLII *Botanicos, nulla magis abuſos* eſſe hac ſua Amaſia, (nominibus ſcilicet in *Oides*) *ut fere vix nomen genericum ſuperſit, quod non huius cauſſa ſpurium evaſerit.* Optarem LINNAEO, quem alias, ob alia in rem herbariam merita, amo, candide & ex toto pectore, ut tam honoris ſui ipſius, quam & praeſtantiſſimorum omnium Botanicorum gratia haec ignominioſa verba nunquam ex calamo prodiisſent, cum mox ex indice ab ipſo ſubiecto manifeſtum ſit, praeſtantiſſimos quosque Botanicos, vix ullo excepto, hisce uſos fuiſſe nominibus. Vt vero manifeſtius hoc probemus, nomina eorum, quos ad inferioris ſubſellii Botanicos refert, Alphabeti ordine hic ſiſtemus. Sunt vero hi, *Boerhavius*, *Columna*, *Dillenius*, *Heiſterus*, *Hermannus*, *Heucherus*, *Isnardus*, *Iuſſieus*, *Knautius*, *Michelius*, *Moriſonus*, *Niſſolius*, *Plumierius*, *Pluckenetius*, *Pontedera*, *Raius*, *Rivinus*, *Ruppius*, *Scheuchzerus*, *Tournefortius*, *Trewius*, *Vaillantius:* unde prudentes videbunt, omnes fere ſummos huius & praecedentis ſeculi

Bo-

Botanicos ad inferius ſubſellium ab hoc eſſe detruſos, atque ſic ſumma iniuria ab ipſo affectos.

§. LVI.

Verum nec hi ſoli ſunt, qui nominibus plantarum *in oides* uſi ſunt, quas nominavit, ſed nonnulli praeter hos praeſtantiſſimi Botanici mihi adhuc in mentem veniunt, qui hoc fecerunt, & quidem ex antiquis, *Hippocrates*, *Theophraſtus*, *Dioſcorides*, *Plinius*, *Galenus*, *Oribaſius*, & ex recentioribus & recentiſſimis, *Matthiolus*, *Cluſius*, *Hottonus*, *Houſtonus*, *Millerus*, *Gleditſchius*, in Catal. plant. horti Trebenizenſis, *Ludwigius*, *Siegesbeckius*, & forte plures alii, quos novus hic Botanicus omnes ad inferius ſubſellium relegat; Vellem igitur *quosnam ad ſuperius ſubſellium referendos eſſe cenſeat*, ſi hos omnes ad inferius detrudat, quos tamen in Praefat. ad Biblioth. ſuam Botan. ſummis extulerat laudibus.

§. LVII.

Porro dicit pag. 35. eadem prava, ne dicam, calumnioſa ſcribendi ratione, *hanc terminationem commune & certum Aſylum pigris fuiſſe:* quaſi praetantiſſimi hi viri (§. LV. & LVI.) ad *pigros pertinerent*, & ex pigritia haec nomina excogitaſſent, atque in exemplum adducit *Echioidis* & *Bugloſſoidis* genus, quae RIVINUS & DILLENIUS conſtituerunt. Verum reſpondeo, longe facilius hoc dici poſſe de iis generibus, quae LINNAEUS ex nominibus Botanicorum aut Botanophilorum fecit: cum enim EXP. DN. PRAESES, qui iam a quadraginta annis Botanicam colit, talia confecerit, ILLI non ignotum erit, in quibus nominibus excogitandis plus laboris, ingenii aut iudicii requiratur. Nam his, quibus nomen a viro quodam damus, hoc fieri plerumque ſolet, ubi nihil in planta videmus, quod ad nomen aptum occaſionem

prae-

praebet; adeoque pro arbitrio eiusmodi nomen ei damus a Viro, qui nobis primum in mentem venit, aut cuius in honorem plantam aliquam novam, ſive peculiarem, nomine ſuo cohoneſtare antea nobis propoſuimus. Nam quales aliae meditationes LINNAEO neceſſariae fuerunt, cum certis plantis *Artediae*, *Brovvalliae*, *Burmanniae Geſneriae*, *Gronoviae*, *Royeniae* &c. nomen impoſuit, cum plantae hae nihil habent cum his viris ſimile, haud perſpicio.

§. LVIII.

Quando autem nomen in OIDES *componere volo*, deliberandum prius eſt, *an illa planta*, ut exempli loco, *Echioides* aut *Bugloſſoides*, cum *Echio* aut *Bugloſſo* aliquid habeat ſimile; nam alias abſurdum nomen *Echioides* aut *Bugloſſoides*, vel quodcunque aliud huiusmodi conderetur, niſi genus recens denominandum quid haberet, quod cum planta, a qua novum nomen derivandum, ſimile eſſet, quia *τὸ oides* ſive *ides*, ab εἶδος *forma*, *ſpecies* ſive *facies*, aliquam figuram ſive ſimilitudinem in certis partibus cum planta, a qua priores ſyllabae deſumtae ſunt, indicat & revera etiam (niſi abſonum prorſus haberi debeat) requirit. Deinde vero debet etiam adeſſe diſſimile quid, quod diſtinctionem talem efficere queat, ut novum genus mereatur: nam alias eſſet eadem, atque ad idem genus & nomen referanda; atque haec duo requiſita in genere *Echioidis*, *Bugloſſoidis*, *Anemonoidis*, *Hyacinthoidis* aliisque fere omnibus in *oides*, ſi res rite perpendatur, deprehendentur. Quibus profecto *me oſtendiſſe opinor*, *plus ingenii & meditationis requiri ad genus aliquod in oides* deſinens, quam ad genus a nomine cuiusdam hominis condendum, aut ex indice nominum plantarum veterum vetus quoddam nomen mutuandum: atque ſic eos, qui eiusmodi genera in *oides* condiderunt, pigrorum nomine, ut LINNAEVS fecit, temere non eſſe dehoneſtandos.

§. LIX.

E contrario *nomina generum* in oides *hoc adhuc habent boni*, quia audito vel lecto eiusmodi nomine, v. gr. ut in datis exemplis maneamus, *Anemonoides*, *Bugloſſoides*, *Echiodes*, *Hyacinthoides*, mox cuicunque rei herbariae ſtudioſo in mentem venit, plantis his aliquid ſimile ineſſe cum illis, unde nomen trahunt: ut cum *Anemone*, *Bugloſſo*, *Echio* aut *Hyacintho*. Si tunc talem plantam video, & attendo ad id, quo a genere radicali differt, facile ſcire poſſum, utrum ſit illa planta, necne; Contra ſi quis mihi plantam oſtenderet, quam putaret eſſe *Anemonoidem*, *Bugloſſoidem* &c. ſed nihil in eo deprehenderem, quod cum *Anemone*, *Bugloſſo* &c. ſimile eſſet, mox ſcirem hanc plantam non eſſe *Anemonoidem* vel *Bugloſſoidem*, ſed uberius in verum genus & nomen ex fructificatione aliisque plantae partibus eſſe inquirendum. Denique *qui nomina primi generis novit*, quemadmodum ea Botanicus quilibet noſſe debet, *facile deinde quoque derivata*, dimidio quaſi labore, *diſcere*, atque memoria retinere poterit.

§. LX.

LINNAEVS quidem, quod hic obliviſci non debet, *ex genere Bugloſſoidis* & *Echioidis*, quia haec antiquiſſima nomina, ex peculiari ſua praeiudicata opinione & aſſumto malo principio, ferre non vult, ea quidem diverſa a *Bugloſſo* & *Echio* eſſe, peculiareque genus mereri cognovit, nomine LYCOPSIS inſignivit. a) Sed *hoc nomen mihi* hic quam maxime, ſi quid aliud, *incongruum eſſe videtur*. Si enim originem eius vocabuli conſideramus, a graeco λυκος Lupus, & ὀψις viſus ſeu facies, compoſitum eſſe videtur, atque ſic ſecundum hanc

a) Vid. eius Gen. Plant. p. 106. vel hort. Cliffort. p. 44.

hanc originem plantam denotat, quae *lupi faciem* aut ſimilitudinem habet aut habere debet. Cum vero nihil, quod ſciam, in his plantis ſit, quod *lupi faciem* habet; hinc abſonum prorſus (ne quid durius dicam) hoc nomen pro his plantis eſſe exiſtimo. Haud quidem ignoro, *nomen Lycopſis eſſe antiquum*, id quod forte reſpondebit; Verum antiquum eſſe non ſufficit, niſi ſimul etiam id, quod denotat, in planta adſit. LINNAEVS quidem ſaepius exiſtimaſſe videtur, ſe, quando generis alicuius nomen exturbare voluit, officio ſuo abunde ſatisfeciſſe, ſi modo nomen ex antiquorum nominum catalogo depromeret, atque illud ei generi rurſus imponeret; Verum ea ſaepe admodum male, ut alibi uberius demonſtrabo, & cumprimis etiam hic, cum planta, cui impoſuit, conveniunt. Hinc diiudicandum interim relinquamus prudentibus, utrum nomina illa in *oides* plantis his melius conveniant, an *Lycopſis*, quod, ſi verum dicere fas eſt, idem eſt ac *Lycoides*, & an plus ingenii aut laboris opus fuerit pro RIVINI nominibus excogitandis, quam pro nomine *Lycopſis* ex veteribus a LINNAEO mutuando & in eorum locum temere ſubſtituendo.

§. LXI.

Eadem pag. 34. Crit. Botan. EXPER. DN. PRAESIDEM, ubi de *convolvuloide* loquitur, clam mordet, dicendo, IPSVM *violentas*, quando hoc genus conſtituit, *generi convolvuli naturali intuliſſe manus, ex aſſumtis falſis principiis*, cum *ſpeciem convolvuli, quae caule recto eſt, a genere eius ſeparaverit, &* CONVOLVVLOIDEM *vocaverit.* Ad quod reſpondeo, nullas violentas manus generi convulvuli eſſe illatas, *ſeparando convolvuli* varias ſpecies, (*non unam*, ut LINNAEVS falſo perhibet) caule erecto, a convolvulis ceteris veris, *caule volubili* donatis, id eſt, qui ſe appoſitis baculis vel fruticibus circumvolvunt, ſicut *vi nominis* huius generis omnes eſſe de-

 bent.

bent. Nam plantis, quae ſe ita non convolvunt, etiam hoc nomen dari recte nequit, *quia tunc non ſunt co.volvuli*, & qui eas ſic vocat, committit contradictionem & errorem manifeſtum, quem plebs & pueri obſervare poſſunt, atque minimum quinque novimus ſpecies, quibus propterea nomen convulvuli haud competit, quia ſe non convolvunt, ex quibus ſimul ſumtis genus *convolvuloidis* conſtituit EXC. DN. PRAESES. a) *Nam ſic convolvuli generis diviſio in duo non fit violenta manu, non renuente, ſed duce natura*, quae quasdam ſpecies *caule volubili*, alias *vero recto, aut prorſus nullo inſtruxit*, quaeque ſic ſe invicem ſponte in duo genera, notis vividis & ſatis obviis, dividunt, eoque ipſo hoc ſimul commodum obtinetur, ut non opus ſit in nominibus ſpecierum ſingulis, ut olim quidam fecerunt, cuivis ſpeciei tam multa diſtinctionis vocabula addere, aut tam longum fingere nomen, ſicuti erat, *Convolvulus caule volubili*, aut *caule non volubili* &c. cum nomen ſpecificum, ipſo LINNAEO teſte F. Bot. §. 291. *quo brevius, eo melius*, dum *Convolvuloidis* aut *Convolvulaſtri* vocabulum unicum nunc indicat, quod alias duobus, tribus vel quatuor, *convolvulus* ſcilicet *caule recto* aut *caule non volubili*, eſſet enunciandum, eodem modo, ut in altero genere *ſolum nomen convolvuli* idem ſignificat, quod revera eſt, & quod alias tribus dixerunt, *convulvulus* nimirum *caule volubili*, ac ſimul in *convolvulaſtri* genere evitatur illa contradictio, quam ii neceſſario commiſerunt & adhuc committunt, qui eiusmodi plantas, quae ſe non convolvunt, tamen *convolvulum* male appellarunt & adhuc appellant.

§. LXII.

Diiudicandum igitur ſapientibus relinquam, an Exc. Dni. PRAESIDIS *haec duo genera non ſint naturalia* & meliora,

a) Quia nomen hoc ex Vocabulo latino & graeco compoſitum iam ipſi EXP. DN. PRAESIDI non ſatis placet, *Convolvulaſtri* ſubſtituit.

ra, quam ſi in uno *Convolvuli* nomine combinata relinquantur, itemque *an manus violentas generi convolvuli vulgaris, manifeſtas contradictiones foventi, intulerit*, quae nullo modo confundit, ſed multo curatius diſtinguit, & annon principia RAII, BOERHAVII & plerorumque reliquorum Botanicorum, qui ſubinde etiam genera ex aliis plantae partibus & ſpeciatim etiam ex *diverſo modo creſcendi*, uti hic itemque in *Valerianis* & Valerianellis aliisque fit, conſtituunt, atque ex hoc fundamento ab aliis affinibus diſtinguunt, ſubinde ſint meliora & tunc etiam adhibenda, *quando hoc ipſo contradictionem* eiusmodi evitare poſſumus, quae alias diſcentes turbat. Nam minime pro optimis illa LINNAEI principia §. XVI. habere poſſumus, quia multis confuſionibus, ut ſatis hactenus probavimus, anſam praebent; ſed certiſſime perſuaſi ſumus, alia etiam adminicula, aliasque plantarum partes, ex conſenſu plerorumque Botanicorum, ſaepe in ſubſidium eſſe vocandas, tam ad genera Medica veterum conſervanda, quam ad alia nondum ſatis bene diſtincta plantarum genera rectius diſtinguenda, aliosve errores, confuſiones aut contradictiones evitandos.

§. LXIII.

Denique LINNAEVS eadem pag. 34. *Lectores ſuos ioco quodam, ſed admodum ieiuno, aut potius figmento, circa nomina in oides exhilarare vult*, ut eo haec ignaris tanto magis odioſa reddat, dicendo quaſi ſomnians: *Audivi dudum*, (quamvis, cum haec ſcriberet, nondum ſenex eſſet) *cum riſu a Philoſophis & Medicis obiici* OIDES *iſtud, ut, quamprimum librum Botanicum, NB. licet Botanices parum gnari, auſi fuerunt certare, ſe dignum iudicium in authorem daturos: evolverunt modo indicem, & ſi obſervarunt plura nomina in oides ab authore confecta, mox* (ſed temere) *enunciarunt, eum non eſſe Botanicum, ſed Botanicoidem.* Verum hic iocus nobis admodum inſipidus, ne dicam fatuus,

videtur. Dicit enim (at, ut mihi videtur, non adeo prudenter) *Philoſophos & Medicos illos*, qui hoc abſonum iudicium dederunt, *Botanices parum fuiſſe gnaros:* quid illi recte de Botanica iudicare valuerunt? Certe haud melius, quam coecus de colore: ſed potius eo ipſo indicat, *ſe iudices* in re, quam parum aut prorſus non intellexerunt, & graeca veriſimiliter quoque ignorarunt, *haud idoneos produxiſſe*, adeoque & eorum teſtimonio aut iudicio nihil eſſe tribuendum, praeſertim quando ex nominibus in *oides* tam ſubito, *evoluto ſolum indice*, de auctore, quod non ſit Botanicus, absque ulla alia ratione aut deliberatione, ſine graecae linguae natura ac genio, cui eiusmodi vocabula admodum familiaria, ſine conſideratione affinitatis, quam multae herbae inter ſe habent, tam imprudenter mox enunciarunt. Quae cum ita ſint, profecto *non dignum*, *ſed quam maxime indignum atque ineptum hac de re iudicium dederunt;* quod nobis & multis aliis *non riſum*, *ſed miſericordiam commovet* erga eos, qui tam temere, ac frivole hac de re iudicarunt, & forte inter Lappones, cum quibus multum verſatus eſt, aut his ſimiles, eiusmodi iudicia fatua vel audivit vel finxit.

§. LXIV.

E contrario ſaepe vidimus & praeſertim *ignaros*, *aut in graecis litteris rudes*, *quia haec nomina facile pronunciare non poterant*, ea contemſiſſe; verum veri Philoſophi ac Medici, potiſſimum vero graecarum litterarum periti, egregie, ut merentur, ipſa laudaſſe atque approbaſſe, in quibus nihil iure reprehendi queat. *Praeterea illi*, *qui plurima plantarum nomina in oides condiderunt*, ſunt ſupra §. LI. & LV. nominati. Quo igitur iure Philoſophi illi & Medici *Linnaeani* praeſtantiſſimos illos aliosque Botanicos per contemtum *Botanicoides* appellare potuerint, & quid de iis Philoſophis ſit ſentiendum, decidendum relinquam ſapientibus. Si libere fateri licet,

quod

quod ſentio, mihi potius videtur, LINNAEVM tam acriter in haec nomina invectum eſſe, eaque e foro Botanico relegare voluiſſe, *ut tanto plura nova nomina in eorum locum effingere*, vel *obſoleta antiqua* rurſus revocare ſibique hoc ipſo gloriam maiorem, tanquam autori tot novorum aut reſtitutorum nominum, comparare potuerit.

§. LXV.

Denique *ad praeſtantiam nominum in oides uberius evincendam*, oſtendam nomina *in oides in aliis ſcientiis etiam uſitata eſſe*, ut propterea tanto minus in Botanica culpari queant; nam primo *in Anatome* habemus os *hyoides*, *ſphaenoides*, *ethmoides*, *cuboides;* inter proceſſus eſt *coracoides*, *pterygoides;* inter cartilagines, *thyroides*, *cricoides*, *arytaenoides;* & ex muſculis nunc in memoriam veniunt *rhomboides*, & *platysma myodes*. In *Matheſi* vero in uſu eſt figura *cuboides*, *rhomboides*, *ſphaeroides* aliaeque. Si quis nunc Anatomicum, aut Mathematicum, qui hisce nominibus utitur, ſicuti omnes hodie faciunt, velit propterea cavillandi cauſſa *Anatomicoidem* vel *Mathematicoidem* appellare, an non ille pro *ineptiſſimo*, & ne quid durius dicam, homine & quidem merito ab eruditis haberetur, quia nomina haec ad id, quod indicare debent, ſunt per quam idonea, & a longiſſimo tempore, a praeſtantiſſimo quovis Botanico iam probata atque uſu recepta, ſic ut aliis ſine confuſione permutari nequeant. Idem ergo, de iis valeat, neceſſe eſt, qui de Botanicis, qui nominibus in *oides* utuntur, tam temere atque inepte iudicarunt vel adhuc iudicabunt.

§. LXVI.

Quod de nominibus in *oides* hactenus diximus, ſentiendum quoque eſt de illis generum plantarum nominibus, ſupra §. L. iam indicatis, quae easdem ob rationes, ut haec ex *aliis generum nominibus*, *cum ſyllaba quadam* (una vel altera)

 in

in fine addita, *conflata ſunt*, licet *Linnaeo* in eius Fund. & Crit. Bot. §. 227. *non placeant*, adeoque & ea reiiciat, quamvis tam veteribus, quam recentioribus haud ſine ratione ſint uſitatiſſima. Cuiusmodi nomina, ut exemplis quibusdam nos explicemus, praeter ea, quae §. L. p. 45. iam indicavimus, ſunt, quando ab Acetoſa facta eſt *Acetoſella*; a Beta, *Betula*; a Dracone, *Dracunculus* & *Dracontium*; a Fraxino *Fraxinella*; a Lino, *Linaria*; a Perſico, *Perſicaria*; a Pyro, *Pyrola*; a Valeriana *Valerianella*, & ſic porro, quorum multa adhuc alia ipſe recenſet LINNAEVS in Crit. Bot. p. 40. In explicatione vero illius aphorismi 227. p. 38. miratur & ſe capere haud poſſe ait, *unde malum iſtud proveniat*, *quod Botanici toties unum idemque vocabulum ruminare velint*, cum *tantus inde oriretur foetor*, *ut nauſeam creet ſanis*, veteribusque *ea vix uſitata eſſe*, qui *recentioribus hic longe fuiſſent caſtiores*.

§. LXVII.

Verum in utroque hic valde mihi erraſſe videtur. Nam ſi *veteres* evolvimus, profecto in illa paucitate plantarum, quas cognoverant (§. LIII.) *frequentiſſime eos eiusmodi nominibus uſos eſſe deprehendimus:* ſicut exempli loco eſſe poſſunt *Acantha*, Acanthus, Acanthium; *Ammi*, Ammomum; *Apium*, Apiaſtrum & Apios; *Arum*, Ariſarum; *Beta*, Betonica; *Bulbus*, Bulbine; *Bunium*, Bunias & Buniades; *Cedrus*, Cedrides; *Cepa*, Cepaea; *Coris*, Coriandrum; *Cunila*, Cunilago; *Draco*, Dracunculus & Dracontium; *Elatine*, Elaterium; *Filix*, Filicula; *Glaux*, Glaucium; *Helleborus*, Helleborine; *Lens*, Lenticula; *Leuce*, Leucoium, Leucanthemum; *Linum*, Linaria; *Lupus* vel Lupulus & Lupinus; *Mentha*, Menthaſtrum; *Ocymum*, Ocymaſtrum & Ocymoides; *Olea*, Oleaſter; *Phyllon*, Phyllitis & Phyllanthes; *Pinus*, Pinaſter; *Piper*, Piperitis; *Polygonum*, Polygonatum; *Rubus*, Rubia; *Scordium*, Scordotes; *Scorpio*, Scorpioides; *Thymus*, Thymelaea; *Tordile*, Tordylium; *Tragus*, Tragium, Tragonum, Tragonia, Tragori-

ga-

garum, Tragopogum, Tragoſelinum, Tragacantha, & plura ſimilia. Ex quibus ergo patet, *veteres non modo ſaepiſſime eiusmodi nominibus uſos eſſe*, verum etiam ſaepe, *bis terve & ſaepius quandoque unius nominis ultimam ſyllabam mutaſſe*, eisque nominibus alias ſtirpes deſignaſſe.

§. LXVIII.

2. *Quod haec nomina neque foetorem neque nauſeam creent ſanis* (ſaltem plerisque) cognoſci poteſt *ex magno numero horum nominum* a recentioribus revera ſanis & prudentibus Botanicis in hunc modum, ad imitationem veterum, efformata: cum, me iudice, revera una cum eis §. 47, 48, 49 & 50. *ſint ex optimis, quibus genera affinia* aptiſſime denominare, atque memoriae egregium levamen comparare valemus, ſicut ex plerisque illis, quae §. 66 & 67 recenſuimus, videre licet. Nam *cur imitari veteres in eo, quod ipſi tam ſaepe & profecto non ſine ratione fecerunt, non licebit?* praeſertim cum uſum huius rei perſpiciamus & certum ex quam plurimorum conſenſu ſit, quod *vocabula affinia facilius non ſolum memoria retineantur*, ita ut propterea hodie *etiam in ſcholis vocabula pueros doceant praeceptores ad hunc modum*, ſed & ad genus cum alio multum conveniens optime deſignandum quam aptiſſima ſint, & longe aptiora, quam ſi a LINNAEO nomen ab affinis generis nomine diverſiſſimum, ſive recens ſit ſive antiquum, ut quando pro Acanthio, *Onopordum*; Alaternoide, *Celaſtrus*; Amaranthoide, *Gomphrena*; Alliaria, *Eryſimum*; Alſinaſtro, *Elatine*; Alſinella, *Sagina*; Araliaſtro, *Panax* & centum alia eiusmodi ſubſtituantur, aut in locum illorum ſurrogentur. Interea tamen ſicut in omnibus rebus in ſe bonis, exceſſu peccari poteſt, atque in nominibus veterum a *Trago* derivatis & compoſitis (§. LXVII) nimia horum nominum copia, (*dum octo hic ex iis collegi*) facile errores committi poſſunt, ita convenientius eſſe exiſtimo, ne *ultra duo facile ab uno radicali nomine formentur nomina alia:* id quod etiam & veteres & recentiores praeſtantiores Botanici utplurimum

mum

mum obſervarunt, quia maior copia facile confuſiones concitare poteſt.

§. LXIX.

Deinde adhuc notare oportet, quod LINNAEVS ipſe ſuum praeceptum 227. ſaepius non ſervaverit, quando nimirum nomina, ut ex quam plurimis tantum pauca hic commemorem, ſequentia iſtiusmodi ab ipſo vel retinentur, vel ab eo recens excogitata ſunt: ut *Agroſtis* & Agroſtema. *Ammi* & Ammomum; *Aſperula* & Aſperugo; *Beta*, Betula & Betonica; *Calla*, Calligonum; *Canna*, Cannabis; *Caſſia*, Caſſine; *Ceratonia*, Ceratophyllum & plura alia: quo referri etiam poſſunt *Chryſanthemum*, *Chryſobalanus*, *Chryſocoma*, *Chryſogonum*, *Chryſophyllum* & *Chryſoſplenium*, quippe quae nomina omnia a *Chryſos*, auro, ultimis ſyllabis tantum mutatis, facta ſunt. Ita & *Coris*, *Coriaria*, *Coriandrum*, & *Coriſpermum* primis ſyllabis omnia conveniunt & ultimis tantum a ſe differunt, ſicut illa a *Trago* derivata §. LXVII. Sic *Coronaria* & *Coronilla* ambo a Corona ortum habent, & *Pyrolam* a Pyro, addita una ſyllaba nominatam eſſe nemo forte ibit inficias: interea tamen a *Linnaeo* uſurpantur: id quod quidem non reprehendo, ſed licitum eſſe exiſtimo, ſed cum hoc vetet, & tamen ipſe facit, cur alios propterea reprehendit? *An forte credit ſua ſolum nomina eſſe pulchra & grata*, aliorum vero, eadem ratione conſtructa, tam foetida, ut nauſeam creent? *Heu qualis & quanta haec eſt Linnaei de ſe ipſo opinio*, cui aliorum res (ſuis prorſus ſimiles) ſordent, *ſuae vero tantum bene olent & placent.*

§. LXX.

Superſunt *quamplurima* adhuc alia in eius Fund. Bot., *quae eodem infirmo nituntur talo* ac praecedentia. Sed ne diſſertationis limites tranſiliamus, nunc hic ſubſiſtemus & alio forte tempore, ſolo veri amore & in rei herbariae utilitatem, reliqua eius praecepta perluſtremus, *doctisque poſtea, dum oppoſita iuxta ſe poſita magis elucent, diiudicandum relinquamus*, quisnam de apta & inepta, neceſſaria & inutili nominum mutatione optime ſenſerit.

CONSPECTVS
TOTIVS DISSERTATIONIS.

§. 1 Plantis *nomina* ſunt neceſſaria.
2 Nomina prima *plantarum* a Graecis & Romanis habemus.
3 Qui vero *notas earum non bene deſcripſerunt*; *recentiores* tamen *nomina* eorum certis plantis indiderunt, *quae hodie ſervanda*.
4 Quaenam nomina ex his *Linnaeus mutaverit*.
5 Male hic *Linnaeum* egiſſe oſtenditur.
6 Quod? *Boerhavii teſtimonio* confirmatur.
7 *Nova nomina* multis ſunt *neceſſaria.*
8 Quando, ratio 1. & 9. ratio 2.
10 Quae exemplis illuſtrantur.
11. 12. 13. & 14. idem continuatur.
15 *Quando a viris* apte denominanda genera plantarum.
16 *Fundamentum* denominationis Linnaei *primarium* quid?
17 hoc *ſine limitatione non valere*, & rationibus &
18 exemplis oſtenditur.
19 reſpondetur alicui obiectioni Linnaei
20 & *ſcriptores ſic intelligi non poſſe* oſtenditur, primo
21 exemplis *Lapathi.*
22 itemque *Helenii* uberius demonſtratur.
23 *Teucrii Linnaei* ſpecies longiſſima accipiunt nomina,
24 *quae valde moleſta* in formulis medicis.
25 quod & ita *ſe habet in aliis officinalibus*: unde ſumma confuſio.
26 obiiciet forte, ea tamen *fructificatione* convenire; ſed hoc non ſufficere oſtenditur.
27 *Linnaeum* primariam ſuam regulam §. 213. F. B. ſaepius non ſervare oſtenditur.
28 quod hic uberius probatur & ſpeciatim
29 ex *Anthirrini* & *Fumariae*
30 itemque *Hyacinthi*
31 nec non ex *Convallariae* ipſius genere demonſtratur.
32 ubi illa regula ſervanda & *ubi exceptionem patiatur.*
33 an *odor* & *ſapor* e notis prorſus ſint eiiciendi?
34 *nomina officinalia ſervanda* eſſe ſtatuitur,
35 licet etiam *ex foliis* ſint cognoſcenda & diſtinguenda.

36 igi-

36 igitur & haec inter notas haud raro referenda.
37 Verum *nunquam excluſa fructificatione.*
38 *ut morbi omnes ex una corporis parte non cognoſcuntur*, ita nec plantae.
39 quod uberius probatur *ex conſenſu Boerhavii.*
40 Igitur *ex variis quandoque partibus* cognoſcendae.
41 *Nomina, ex duobus vocabulis integris* facta, non reiicienda.
42 & *male a Linnaeo ea reiici,*
43 e contra ex *optimis* eſſe probatur
44 & per ſpeciale *exemplum* oſtenditur.
45 quaedam tamen *in unum mutari,*
46 quaedam *aptioribus* permutari poſſe docetur.
47 nomina *ex duobus vocabulis coniunctis* recte tolerantur.
48 Item ex *vocabulo graeco & latino* nec non *ex uno generico latino & altero integro fracto* conflata.
49 de nominibus, *quibus ſyllaba quaedam praeponitur*, ut aliud poſtea genus ſignificet, agitur,
50 *nomina, cum ſyllaba* quadam in fine *addita*, ſunt bona.
51 ſpeciatim in *oides* definentia.
52 rationes, cur haec Linnaeus reiiciat, leves ſunt & ludirae.
53 veteres talia nomina, contra quam Linnaeus ſtatuit, multa formarunt.
54 eaque nec a criticis reiici poſſunt, quia genuina.
55 Linnaeus propterea inique tractat optimos Botanicos.
56 & antiquis quoque haud parcit.
57 eosque omnes *pigritiae* falſo hic accuſat, quod falſum eſſe probatur.
58 quia *difficilius* eſt nomina *in oides componere*, quam ab homine quodam deducere.
59 nomina in *oides* quaenam praeterea *adhuc habeant bona.*
60 Linnaeus *Buglossoidem* & Echioidem perquam incongrue mutat in *Lycopſin.*
61 & clam mordet *Dn. Praeſidem*, qui hic & § 62. defenditur.
63 Linnaeus de nominibus in *oides* iocum ſine ſale profert.
64 qui ut inſipidus & iniquus refutatur.
65 nomina in *oides* ſaepius quoque adhibentur in aliis ſcientiis.
66 Hactenus dicta *valent & in aliis nominibus*, quae a ſyllaba quadam in fine addita, conſtant.
67 *Linnaeum circa haec multum erraſſe* exemplis probatur.
68 quae exempla imitari licet.
69 *Linnaeum ſuum praeceptum* 227. Fund. Bot. ſaepe *non ſervaſſe* probatur.
70 Iudicatur denique multa adhuc alia ab illo male propoſita, alias adhuc eſſe excutienda.

)o(


PIPERODENDRVM
FLORENS.
fig. 3.
fig. 2.
Fig: 1.
a
b
c
d

Appendix de floribus Piperodendri.

Quoniam Diſſertatio haec eſt botanici argumenti, haud alienum eſſe exiſtimo, ſi appendicis in modum, arboris illius rariſſimae, quae ſuperiori anno in diſſert. de *Pipere* ſub Dn. PRAESIDIS praeſidio delineata & *Piperodendri* nomine, ſed ſine floribus, deſcripta eſt, *nunc quoque flores eius*, quos ſuperiori aeſtate, hic in Horto Medico, protulit, *deſcribamus:* quia multi Botanophili hoc optarunt, adeoque & eos, una cum ramulo foliis obſito, cui inſidebant, delineandos & aeri incidendos, ut in figura 1. adiecta videre eſt, curavi.

Menſe nimirum Iulio huius anni 1741. in hac arbore, libero in aere collocata, in ſummo cuiusdam ramuli *floſculos*, eosque *in forma racemi*, prodituros eſſe obſervabatur, qui racemus cum futuris floſculis ſenſim, at tarde augebatur; donec tandem menſe Auguſto ad eam, quae in figura 1. exhibetur, magnitudinem pervenerat: ubi noduli exigui, aaaa, fere ut in racemo vitis, mox poſt florem lapſum, ſexaginta circiter apparebant, coloris herbacei, ex viridi albeſcentis, quorum unus vel alter die 17 Auguſti, in ſummo leviter in quinque ſegmenta dehiſcebant, bbbb, apicibus adhuc conniventibus & introrſum inflexis, atque in interſtitiis ſegmentorum color ex flavo croceus, quaſi ſegmentorum internus color eſſet, armato oculo videri, verum quid ſit, nondum cognoſci, neque *Calyx* floris tunc adhuc perſpicue diſcerni poterat, ſed tantum color floſculi iuxta petiolum magis vireſcebat, quam reliqua pars, atque ſic flos quaſi nudus, h. e., ſine calyce, apparebat.

Die XX Auguſti CALYX ope microſcopii diſtinctior paullo dignoſcebatur, isque quinquifidus, ſed cum flore tam arcte concretus, ut unum quaſi corpus cum eo conſtituere videretur, floſculorum quorundam ſegmentis paulo magis hiantibus, ut ad litt. c, nondum tamen prorſus apertis, inter quae color

lor croceus adhuc magis conſpiciebatur, & in medio fundo *ſphaerula quaedam nigricans*, minutiſſima; ſic tamen, ut, quid ſit, ob exiguitatem diſtincte nondum perſpiceretur.

Ab hoc die ad 26. & 27, floſculus quidam ſive corolla prorſus ſe aperiebat, *in modum floris roſacei*, minutiſſimi, ſicuti in planta ipſa, litt. d; attamen perſpicuitatis cauſſa paullo amplius, quam revera erat, indicatur, & ſegmenta eius ad unguem diviſa deprehendebantur, ita, ut *pentapetalus* videretur: ſed utrum *monopetalus* ad unguem quinquifidus, an *pentapetalus* ſit, ob parvitatem dici certe non potuerit.

STAMINA quando curioſiſſime, intenſiſſima oculorum acie examinabantur, ea quidem una cum antheris coloris crocei, ſed ob exilitatem difficillime cognoſcebantur; verum quot ſint, haud certe ſine microſcopii auxilio patebat. Hoc autem *decem* diſtincta apparebant, & quidem, ut in figura 2, quae anticam partem repraeſentat, quinque filamenta eorum, iuxta *piſtillum* ſive *germen*, in ſegmentorum interſtitiis prodeuntia, eaque longiora, cetera quinque filamenta ex medio ungue ſegmentorum proveniebant, ceteris dimidio breviora, & germini *ſtigma*, quod ſphaerula illa nigricans erat, inſidebat. *Antherae* autem in ſingulis erant ſphaericae, coloris ex croceo flaveſcentis, erantque illud, quod flore nondum ſatis aperto, ſub hoc colore ſe exhibuerat. *Calyx* ſive *perianthium* tum etiam ope microſcopii diſtinctius, quando floſculi a tergo inſpiciebantur, ſe oſtendebat, *qui ad dimidiam partem quinquepartitus* erat, ſicut in fig. 3, (ubi duae corollae apertae ſiſtuntur) per microſcopium auctus exhibetur, cuius ſegmentorum apices cum interſtitiis ſegmentorum corollae reſpondebant.

FRVCTVS vero non ſunt ſecuti; ſed floſculi ſenſim ſenſimque & fere ad finem usque Septembris floruerunt, atque pedetentim tandem integri, non per petala aut fruſta deciderunt: unde *monopetalos* ipſos fuiſſe veriſimile eſt. Forte alio tempore & fructus dabit.

... tab. xxii. [illegible] [illegible], [illegible] [illegible], [illegible]

[illegible]; cetera cum ed. priori [illegible] [illegible].